6.05

CAROLI ALOISII MORICHINII

CARDINALIS

ARCHIEPISCOPI BONONIENSIVM

CARMINA

BONONIAE
EX OFFICINA PONTIFICIA MAREGGIANIANA

ANNO MDCCCLXXVI

STENT AVCTORIS IVRA

AVCTOR LECTORI

Habes, Lector humanissime, uno conclusa volumine quae inde ab anno MDCCCLXIII passim evulgavi carmina; quibus nonnulla accedunt nondum edita, iuvenilia praesertim, non quod putem quidquam eis praestantiae inesse, sed quia ad memoriam pergrata redeunt, utpote quae partim virentis aetatis sunt, partim officia referunt erga parentes et necessarios. Fatebor enim me, iam tum quum inter alumnos patrii Collegii Nazareni operam darem litteris, latina poesi, quam summopere in aurei aevi scriptoribus degustabam, ita captum fuisse ut eam ardenter exercere coeperim, auctore et magistro P. Innocentio Bianchio, viro sancti propositi aeque ac bene docto, cuius nunquam grato animo non recordabor. Sed mihi postea studiis a musis plane alienis distento, nedum versus scriberem, multum sane erat, si tantum quotidie superfuisset temporis quo Virgilium in primis

carum, magni Augustini exemplo, lectitarem. Ubi vero a curarum mole paulum interquievi, tum denuo me contuli ad humanitatem, atque ex hac, quum nefaria rerum publicarum conversione animum moerore pressum haberem, solatium quoque expetere ratus sum, idque ex sententia cessit. Ea itaque studia quae adolescentiam aluerunt meam mihique perfugium ac solatium adversis in rebus praebuere, eadem nunc senectutem oblectant. Video equidem ex hisce carminibus non pauca esse quae limae laborem postulent, quod mihi iam nec per officium nec per aetatem licet efficere: quod tamen nova hac editione unice specto, nimirum quum obsequium latinis exhibere litteris, tum potissimum Dei optimi maximi, sanctae eius Genitricis Virginis, Caelitumque beatorum laudes celebrare, id si assequar, satis habeo. Vale.

MICHAELEIDOS

LIBRI III

MICHAELEIDOS

LIBER PRIMVS

ARGVMENTVM

Taurus de quodam grege Gargani montis in Apulia diffugit; diu conquisitus, tandem invenitur haerens in aditu speluncae. Sagitta in eum missa in sagittarium redit. Perterriti custodes Laurentium, Episcopum Sipontinorum, consulunt. Hic post indictum trium dierum ieiunium (monitus a S. Iustino, primo eius urbis Episcopo) solemni supplicatione speluncam adit. Interea iuvenis quidam, a daemone Asmodaeo vexatus, in aditu ipsius antri illico liberatur. Episcopus et populus preces fundunt; sed, adveniente iam nocte, unus Laurentius in antro vigilans orat. Illi apparet nocturno visu S. Michael, qui eum locum sibi aliisque caelestibus Aligeris sacrum dicit, et se Italiae praesentissimum patronum esse spondet. Hinc, rogatu Laurentii, pugnam cum dracone in caelis commissam narrat, et vexillum a Deo datum describit, in quo victoriae ab Ecclesia catholica, eo auspice et patrono, reportandae, usque ad eam de Antichristo, instar vaticinii designantur. Mane Laurentius Sipontinis rem omnem aperit, et ad templum exaedificandum inflammat. Omnes certatim operi manum admovent.

Principis Aligerum caelo terraque potentis
Grandia fert animus numeris extollere facta;
Templaque Gargani magno splendentia cultu,
Arcanumque specum memori pietate verendum
Dicere, et occultas portenti evolvere causas.
Maxime caelicolum, summi qui Numinis astas
Insignis solio, superasque in bella phalanges
Ducis, ut immenso quantumvis agmine fretus,
Ceu fulgur, Satan ruat exturbatus ab astris;

Quique tuos terris invictus ab hoste tueris
Christiadas, manesque pios (vestigia culpae
Purgantes veteris) flammarum e carcere servas;
Accipe devoto, Michael, quod pectore carmen
Promimus, antiqui meritum tibi pignus amoris;
Dum tua gesta canam, tu nostris annue coeptis.
Magne Pater, morum Custos, fideique Magister,
Exiguas, si forte vacat, bonus excipe musas,
Nec Ducis Aligerum pigeat meminisse triumphos.
Nam vigil aetheriis idem te protegit armis,
Dum fera tartareus molitur praelia serpens:
Et vinces; en sancta novis decorata tropaeis
Christi Sponsa, Pii pulcherrima nomine fulget.

Italiae pingues qua gens colit appula campos,
Quercubus annosis mons densa cacumina caelo
Tollit et adriacas sublimis prospicit undas,
In mare procurrens; Garganum nomine dicunt.
Has rex Aetolum Diomedes vectus ad oras,
Post Troiam eversam, fama est, post Dardana capta
Constitit, atque iugi radicibus extulit urbem
Sipontum, et Dauni primum tenuere coloni.
Dives opum regio, hic gravidis venit uva racemis,
Sponte sua tellus medicas hic fertilis herbas
Fundit, odoratis florent pomaria malis;
Roscida mella fluunt et dulcis copia lactis.
Nam virides inter saltus oviumque boumque
Mille greges vel septa tenent vel prata pererrant.

Iam brumalis hiems aberat, iam laeta nitebant
Pascua vere novo, stabulisque armenta relictis
Libera iam molli gaudebant gramine silvae:
Quum forte indomitus, lento custode, iuvencus
Aut pugna victus rivali aut excitus ira

Diffugit, et silva praeceps sese abdit in alta.
Tum cito pastores instructis arma pharetris
Solliciti rapiunt, variis nemus omne peragrant
Callibus, et latebras rimantur, tecta ferarum,
Hic illic, saltusque canes latratibus implent.
Occiduis iam sol radios absconderat undis,
Quum tandem fessi cursu fractique labore
Haerentem in medio taurum mirantur hiatu
Speluncae: spirant ardentes lumine flammae,
Caudam agitat, mugitque ferox, atque ardua quassat
Cornua, multa minans, et calce attollit arenam.
Illius at custos contra stetit ora, sagittam
Abduxit, totisque tetendit viribus arcum.
Sibilat illa volans levibus rapidissima pennis:
At, mirum dictu! telum redit inde retrorsum,
Mittentemque ferit: gelidos tremor occupat artus.
Haud secus agricolae magna formidine capti
Immoti stant, extemplo si tempore messis
Aetherius ruerit discissis nubibus ignis.
Nemo novum tentat stridentis arundinis ictum;
Sed timidum retulisse pedem mens omnibus una est
Et sipontinae Pastorem quaerere plebis
Et monstri quid sit tanti scrutarier omen.
Tunc diomedeae praesul Laurentius urbis
Divus erat, regum Byzanti sanguine cretus,
Et forma egregius, pietate insignis et aevo.
Atque ea Gargani summo dum monte geruntur,
Ille orat vigil inclusus, de more, sacello
Interiore domus: subito quum visus adesse
Iustinus, Christi primum qui iura ferebat,
Siponti princeps Pastor, legemque sacrorum.
Laurenti o frater, dixit, miranda patescent

Usquam non audita, manent et grandia facta;
Antra petas, tecum votis solemnibus instet
Urbs tota, exoratus enim Deus omnia pandet.
Sic fatus rutila confestim in nube recessit.
En cito pastores subeunt, qui mira retexunt
Gargani montis; facili Laurentius ore
Audit, multa movens animo, dein lumina caelo
Attollit palmasque, ac tandem talibus infit:
O Sipontini, patrio quos prosequi amore
Dat mihi religio, haec animis mea figite dicta.
Non homini usque datum superum penetrare recessus,
Atque arcana Dei scrutari et noscere facta.
Nam Pater omnipotens mortalibus abdita saepe
Consilia indignis aeterna mente recondit;
Attamen ah! timidas animo depellite curas;
Nil desperandum: caelo terraque marique
Provida mens agitat casus, ac omnia versat.
Primum humiles tactique ingenti corda dolore
Abluite o vos, atque animis abstergite labes,
Et cinere aspersi crines, et vestibus omnes
Induti moestis, votis instate frequentes
Soles per ternos, ieiunia iungite votis.
Auguror ex animo, nec spes me fallit inanis,
Quod Deus e caelo faveat, quod prospera monstris
Succedant tantis, cadat et feliciter omen.
His praesul dictis trepidantia pectora mulcet,
Illius extemplo pia plebs tum iussa capessit.
At vix quarta dies fulsit, Laurentius antrum
Visere Gargani, atque ignotas quaerere causas
Prodigii cupidus devoto pectore volvit.
Interea reboant turres sacro aere sonantes,
Effusique ruunt omnes per compita, complent

Et plateas: magnam portis bipatentibus ampla
Siponti maior populi vim colligit aedes;
Solemnesque preces funduntur, cantibus aer
Insonat, innumeraeque ardent circum undique cerae;
Fundit odorati templum fragrantia turis.
Tollitur hinc signum, Christi crux emicat alte,
Instructi longo procedunt agmine cives;
Et dociles praeeunt pueri, ingenuaeque puellae,
Patricia et gens, et procerum subit inde senatus.
Incessu gravis et demissus lumina Pastor
Extremum sequitur, niveos premit infula crines,
Et ritu corpus vestes insigniaque ornant;
Laeva regit virgam auratam, sublataque plebi
Dextra crucem referens, et pacem et fausta precatur;
Indutique sacro incedunt de more ministri.
Longum iter ingressi, superant dum culmina montis
Praeruptisque iugi ponunt vestigia saxis,
Ingruit ignavus lassis peragrantibus aestus.
Quattuor ast aquilae celsis e rupibus aethram
Pennarum celeres ingenti remige tranant;
Stant supra caput orantum: nunc grandibus alis
Obiiciunt umbram, nunc alternantibus auras
Aspirant lenes, defessaque corpora mulcent:
Omnes augurium norunt et munera caeli.
Ducitur interea iuvenis, cui dira cupido,
Infelix! venerem explendi dum pectora vexat,
Irruit Asmodaeus et imo corde resedit.
Horresco memorans! mutato lumina vultu
Torquet in adversum, totos fremitu quatit artus
Squalentes, gelido manans it corpore sudor,
Dentibus horrendum stridet, saniemque cruoremque
Ore vomit rabido; similes et vertice crines

Anguibus arrecti exuperant: quam turpe videri!
Saepe furens medios inter compellitur ignės,
Saepe inter scopulos abruptaque saxa ruina
Praecipiti, multave iacet resupinus arena.
Quid miseram matrem referam? quae cura sub imo
Pectore saeva manet! quot ei suspiria, quotque
Ingentes lacrimae! templum quot questibus implet!
Caelestesque omnes precibus votisque fatigat!
Te quoque, dia Parens, adiit tristissima palmis
Supplicibus pia dona ferens, argentea signa,
Flammantes ceras, roseoque e flore corollas!
Ergo ubi plebs effusa frequens festinat ad antrum
Arcanum, iuvenis manibus quoque fertur amicis.
Moesta subit, sed fida parens; sensim insidet altis
Spes insueta animis, et tristia pectora lenit.
Gargani peregrina cohors simul attigit antrum,
Aspicit ante aditum, dictu mirabile! pronis
Demissum genibus, posita feritate, iuvencum;
Bethlaeo ut stabulo, proiectus Numen adorat.
Cernitur atque aliud mirum; namque illico sanum
Arcitenens stupet haud ullo medicamine vulnus;
Exilit et populo occurrens pia gaudia miscet,
Eventusque illi Gargani nomina fecit.

Ingreditur prior antistes, quem pone secuta est
Cetera turba, cavi penetrant et viscera montis:
Tunc obscura, horrens, salientibus aspera saxis
Spelunca aspicitur, sed forma simillima templo;
Cautibus e vivis paries quasi fingitur, intus
Lene solum et veluti cameratum in rupe lacunar.
Hic maius monstrum obiicitur, cum marmore plantae
Insculptae duro apparent, crystallina fulget
Crux et purpureis constrata altaria linis,

Ceu mactanda foret solemni victima ritu.
Cuncta silent late circum, nisi mitis aquae fons
Erumpit saxis, et dulci obmurmurat unda;
Tum pietas insueta, sacer tum cordibus horror.
    Advenit infelix iuvenis, sed limine in ipso
Spelaei subito occulta vi immobilis haeret;
Et gemitus altos ciet et magnos ululatus.
Diriguere: Deum votis instantius urgent,
Ingeminantque preces: mirum! discerpitur aeger,
Et stridor fremitusque et tristis anhelitus ore
Spumat, et horrendum mugit clamoribus altis;
Dein procumbit humi, speciesque simillima morti:
Asmodaeus abit, nec enim perferre verendam
Speluncam posset, rediitque immundus abyssum.
Erigitur iuvenis, matremque amplexus ovantem
Exilit, et populo immixtus sese inserit antro.
Obstupuere omnes; tum Pastor talia fatur:
O Sipontini, non haec sine numine magni
Mira Dei fiunt, non haec spectacula frustra;
Sumite fidentes animos, nam facta secundant.
Dixerat, et proni concordi voce precantur:
Spiritus alme, veni, nostraeque illabere menti;
Alme, veni, et sanctis ardescat cordibus ignis:
Namque Pater tu pauperibus, tu munera donas.
Si lustres animos, casus solaris acerbos,
Et lacrimas tergis; requies tu certa laborum,
Aestus lenimen; tua lux ubi clara coruscat,
Effugiunt tenebrae, perflatur numine pectus;
Te sine nil caeleste datum mortalibus aegris;
Abluis et sordes, perfundis et arida rore,
Saucia tu lenis, tu quaeque adamantina flectis;
Dura rigore foves, recto regis invia cursu,

Munera das septem et certam sperare salutem,
Qui venia caeloque potiri, te duce, fidunt.
Sic Pastor populusque; et sol iam mergitur alto,
Vesper adest, sua quisque parat iam tecta reverti.
Nec tamen in votis praesul cessare iubebat;
Ipse animo portenta movet quae visa, nec ulli,
Tantis mens agitur, fas indulgere quieti.
At solus multis sacrato conditus antro
Noctem agitat precibus, tacita modo mente volutat
Alta arcana Dei, recinit modo vocibus hymnos.
Fletibus ora rigat largis, caelove supinas
Nunc effert palmas, gemitus e pectore fundit.
Annuit omnipotens Pater: haud sine fenore tantus
Praesulis augusti labor; improvisa micat lux,
Quae cito speluncam rutilanti lumine complet.
Haud aliter quando festivis pegmata flammis
Incendunt, quamquam tenebris offusa ruat nox,
Extemplo lucis splendescit nubibus aer
Purpureis, circum clarent et tecta domusque,
Miranturque homines, mediis quasi fulgidus umbris
Sol niteat, subitoque obstringunt lumina visu:
Sic stupet obtutu Laurentius, imaque tentat
Ossa pavor. Niveis iuvenis pulcherrimus alis
Apparet, laeva clypeus, dextraque coruscus
Ensis, et effulgens aurato pectore thorax,
Cristatae capiti galeae; decus ore sereno
Haud mortale nitet, circum diffundit odorem
Aetherium: ac tandem trepidantem et multa volentem
Dicere sic placidis affatur vocibus ultro:
Pone modum lacrimis, Laurenti, pone querelis.
Vota cadunt, bene tu supplex oracula caeli
Hic petis, ipse adsum, pandantur ut abdita menti,

Quidve ferat tauri monstrum telumque retortum.
Religione sacer locus hic multumque verendus:
Hic mihi constitui sedes, hic dentur honores,
Me duce, Pennigeris qui terna per agmina gaudent
Magno astare Deo atque aeternum dicere laudes.
Namque ego sum Michael, septem de fratribus unus
Aligeris solio summi qui Numinis usque
Adsumus. Haec fatus, gelida formidine Pastor
Proiicitur toto demissus corpore terrae.
Deficiunt olli vires et anhelitus oris;
Sublevat at pavidum, dictis et mollibus inquit
Pennigerum Princeps: Animo depelle laborem,
Laurenti, depelle metum: tibi non ego tristis
Nuntius adveni, non haec portenta benignus
Incassum sinit esse Deus, faustoque futurum
Augurio visum posthac dabit exitus ingens.
Ille, metu posito, surgens fidissimus infit:
O superum Dux magne, Dei dulcissima cura,
Quem Pater omnipotens ante omnes aequus amavit;
Primus namque illi caelo carissimus haeres.
Dic, bone, quid referat visum: praesentia magni
Principis Aligerum felix his montibus omen,
Spero equidem (at culpis caeli irritavimus iram,
Scilicet et sontes malefactis digna luemus),
Namque potes, fer opem: si te mortalia tangunt,
Hic tibi magnus honos, laudes et dona feremus,
Templaque consurgent: miti tunc nuntius ore:
Macte animo, Laurenti, etenim felicibus adsum
Auguriis superum: Christi vos invidus hostis
Usque premit vexatque: Italos defendere misit
Me rerum Sator omnipotens; nam saeva minantur
Christicolis, hinc arma feram, hinc mandata facessam.

Imperium occiduis, quod iam Romanus habebat,
Litoribus cecidit; subeunt et barbara regna,
Et Gothus Italiam premit: aetas omnia volvit,
Sed graviora manent: ferus, implacabilis, acer
Surgit Arabs, et signa movet, bella, horrida bella,
Sanguine tinctus aquis ibit spumantibus Ister.
Ast ego Christiadum princeps, fortemque phalangem
Occiduis instructam armis validamque carinis
Ipse egomet ducam: quot foeda cadavera flùctus
Ionii volvunt clypeosque, inimicaque tela,
Effractae vires, et barbara gaza per undas!
Vincitur: at Christi e grege cur nam scinditur uno
Plebs eoa? lupum indignis tegit infula vittis,
Corde tumet, Christique ferox discerpit ovile.
Quin et in augustam saevit furor impius aedem,
Parthenidosque Deique igni violatur imago.
Qui regit imperium, superum mentitus honorem,
Excidio favet infando, mortemque minatur.
Ille et romanae contendit iura tiarae
Eripere, et sanctas audax subvertere leges:
Obiicitur firmo sed robore pectoris heros,
Propositique tenax solida stat mente, nec ullis
Flectitur aerumnis, manet et fortissimus exul.
Gallia Pontificem rapit, et deserta Parente
Romula plebs squalet, vacuis quasi moenibus urbis.
Ut septem decies annis inservit Iudas
Mancipium Babylone, agitur cum Principe bellum
Persarum, subeo tandem luctator et ipse:
Vincitur: haud aliter totidem post lustra reducam
Victor et ipse Patrem, propriaque in sede locabo.
At vos vexat adhuc Satan, caput abditur unum
Christicolum, varios sequitur pecus inde magistros

Incertum: quisnam erranti monstrabit ovilis
Pastorem? Tamen, heu clades! divellitur Anglus
E grege, ductoremque odit; Germania turpi
Falsa viro Christi pecudes et pascua spernit.
Mystica quum tantis agitetur cymba procellis,
Ipse gubernaclum ducam, primusque Magister,
Italiae decus, et servabitur itala tellus.
Dixerat; et fausto Laurentius omine gestit.
O Dux militiae, divum fortissime, subdit,
Ardua quaeque ferat saeclis labentibus aetas,
Nil formidandum, quando haec tibi cura tuorum;
Nam, postquam caelis immani clade draconem
Depellis, miserum! aeternisque rudentibus arctas,
Te laetis quacumque subit victoria palmis.
Heus, bone, quandoquidem facili me conspicis ore
Dulcis et alloquii immeritum dignaris honore,
Ne, precor ah! pugnas et grandia facta referre
Te pigeat, partosque superna in sede triumphos;
Nam quisnam ignorat quod sit tibi robur et ensis
Invicti virtus abreptaque signa rebelli?
Digna petis, Michael ait, et sic farier infit.
Qui fuit aeternum, qui est, aeternumque futurus,
Dixit, et e nihilo, caelis ut sidera posthac,
Innumeri sic aligeri felicis olympi
Cives en adsunt; non omnibus aequa potestas;
Ternum agmen, totidemque choros quodque agmen habebat;
Emicat hos inter cunctis praestantior unus
Splendidior cunctis, ut lucifer emicat astris.
Nondum terra polis haec volvebatur utrisque,
Non metae rerum, non alternantibus horis
Extiterat tempus, nec sol, nec sidera caelo;
Quum Sator aeternus caelestes advocat omnes,

Conciliumque ciet circum, et solio insidet alto.
Protinus Aligeri distinctis coetibus adsunt.
Prima tenent loca divinis qui pectore flammis
Exardent magnique Dei rapiuntur amore:
Senae cuique alae; binis tranantibus aethram,
Vultibus et binae, binae et velamina plantis
Sole magis rutilant. Gabriel hos cernitur inter
Virgineae sobolis felix qui nuntius ibit.
Cernitur et Raphael, Tobis comes additus, arte
Et medica pollens, ac qui tua forcipe flammam,
Isaia, eripiens purgat carbonibus ora.
Hinc pennata cohors, tantam cui mentem animumque
Dat Deus, atque arcana alto penetrare volatu
Consilia, et Sophiae quae sunt sublimia scire;
Hic qui mortiferae custos erit arboris horti.
Est chorus Alipedum, quibus, ut solio, insidet aequus
Altipotens; quanta securi pace fruuntur!
Sunt et qui praesunt rebus, quique orbibus astra
Clara movent, certis et ducunt cursibus annos,
Pollentesque ausus erebi viresque refringunt.
Quique agitant sortes terris hominique ministrant,
Missi verbà ferunt laeta, et dant omina regnis.
Concilium stetit: Omnipotens sic ore profatus:
Aetherei cives, certa quod mente statutum est
Audite, et dociles animis mea condite dicta.
Caelorum rerumque novas stat condere formas,
Atque novam terris animantia vivere vitam
Libera, quae nostros referant in imagine vultus:
Sed tamen haud homini divo de semine natum
Proderit esse animo donisque insignibus auctum;
Nam ruet, ac totum tristis contagia culpae
Inficient genus impellentque occumbere leto.

Sed quos victuros semper caeloque beatos
Vos inter dedimus nostras hic dicere laudes,
Perdi nequicquam patiar: compagine mittam
Mortali cinctam terris poenasque luentem
Aequaevam nobis Sobolem: pandetur olympus
Sic miseris; operi tanto sese obtulit ultro.
Vos miris humana modis velamina vestro
Iuncta Deo colere ut decet, et laetarier aequum est,
Caelitibus comitum coetum affluxisse novorum.
Sic ait, et summo Patri plausere phalanges,
Conciliumque abiit; tristis sed vulnere Satan
(Hoc nomen dicam, nam primum perdidit astris)
Secessit; fera corda tument, spernique videtur,
Invidus occultum fovet imo pectore virus,
Tandem secreto socium compellat Abaddon.
Audistis quae mens, quae sit sententia? quantum
Temnimur? an nos mortali nos subdere formae
Cogemur? divumque olli reddemus honores?
Infandum! diro furiarum incendimur aestu.
Ingeminant curae, spretique iniuria coetus
Me premit: haud patiar: precor, i cito, collige nostros,
Belligeros compelle duces, omnesque catervas
Spirituum: nil intentatum linquere fas est.
Lividus erumpit rabido sic ore querelas.
Protinus ille volat, caelos petit et citus alis
Aetherias tranat sedes, atque agmina lustrat;
Uritur, ardentes irarum suscitat ignes,
Invidiaeque atro perfundit corda veneno.
Impiger ipse etiam Satan huc fertur et illuc,
Posthabitum genus et divini signa decoris
Indita caelicolis iam nunc despecta recenset,
Cordibus inspirat flammas caecumque furorem.

Omnipotens tacito turbari murmure caelum
Novit, et extemplo quae sunt occulta penetrat;
Illum nulla latent. Verum quis praelia dictis
Exprimat Aligerum et mortalibus abdita facta?
Attamen humanis, ut fas, componere rebus
Grandia gesta polo vestra sub imagine pandam.
Sedibus aetheriis, non uno ex ordine cives
Decepti Satan hostilia signa secuti
Defecere; praeest inflata mente superbus:
Ille Dei solium aggreditur, sed tristibus ausis.
Cernere erat nemus hastarum clypeumque micantum,
Et tela et largo volitantes ordine turmas:
Nec levibus caelo vestigia figere plantis,
Praepetibusque alis cursu praevertere ventos.
Curribus erigitur Satan flammantibus actus,
Sublimi cervice auro atque adamante refulget,
Mentitamque Dei praefert in imagine formam.
Innumeri scutis circum tutantur et hastis
Pennati iuvenes, vae! signa infanda secuti.
Impius inclamat: Sedeam super astra; Potentis
Ascendam solium, similisque Altissimo et ipse,
Ipse egomet fiam. Tunc haec sub pectore volvo.
Ergone caelicolas divino e germine cretos
Ipsius et sobolem Patris et solemnibus isdem
Assuetos choreis, festis et laudibus, unus
Quos dulcis iungebat amor, convertere dirum
Sese inter ferrum, atque adversis scindier àrmis?
Sed quid adhuc moror? ingenti succensus amore
Inclamo: Quisnam ut Deus? et feror acer in arma.
Auratas dabat ipse Deus flammamque vomentes
Terribiles capiti galeas, et fortia circum
Brachia cingebat peltis adamante coruscis,

Pectoraque electro trabeis rutilantia, et ipse
Fulmineosque enses et firmi roboris hastas.
Et vexilla dabat, dia quae finxerat arte,
Miraturque Patris donum fidissima pubes
Aligerum atque operis non enarrabile textum,
Ingens, fatidicum, sumitque in praelia vires.
Pinxerat Omnipotens, venturi praescius aevi,
Insidias hostis, magnosque ex hoste triumphos.
Illic ex nihilo, vix fatus, maximus orbis
Apparet, tellusque polusque, et lumina caeli.
Hic lux dividitur tenebris; hic imminet aer;
Hic ponti vada salsa fremunt, fluctusque tumentes
Subsidunt scopulo, ac sicca cohibentur arena.
Silva viret foliis, variisque coloribus arva
Depingunt flores, ditatur fetibus arbos.
At mediis fecunda nitent viridaria terris
Pulcra nimis, quatuor quae lenia flumina rorant,
Motanturque leves zephyris ludentibus umbrae.
Hinc Adam, hinc eius quae ducta est pectore coniux
Fortunatam agitant vitam recubantque beati.
Mitia circumstant variis animalia formis,
Nomen habent, et laeta iugis aut saltibus errant.
Aspicitur nitidus squamas, maculosus et auro
Serpere callidior cunctis animantibus anguis,
Arborem et immensis vetitam circumdare spiris;
Fallaces rumpit voces atque improba fingit,
Unde hominis lapsus miser, et letale venenum
Stirpis ab Adamo, et tristissima pestis origo.
Attamen haud parto gaudet ferus ille tropaeo
Longius: auditur vox indignata Tonantis:
En infensa tibi humano de germine Virgo;
Conteret ipsa caput, morsuque prementis inani

Ima petes pedis; haud momento temporis almam
Tabe tua inficies, sceptro et potieris iniquo.
Incertaque diu licet hunc caligine honorem
Ipse teges olim, clarabit Roma clientis
Voce Pii, extremasque orbis resonabit ad oras.
Nec procul hinc humile addiderat Bethlemidis antrum
Parthenidemque Senemque et mox vitalibus auris
Vescentem Gnatum: bos hinc, hinc stabat asellus
Frigidulum in paleis prona cervice foventes;
Pastoresque magique adsciti dona ferebant,
Tum Solymam prope conspicitur calvaria rupes,
Horrendum, infandumque! cruces in vertice ternae,
Et medio exuviis mortalibus Omnipotentis
Progenies terebrata rubis attritaque flagris
Proh dolor! et discissa immani pectus hiatu.
Quid tamen immensum prodest scelus? arbore ab ipsa
Eripitur genus omne neci et reseratur olympus.
Cernitur inde Petri sedes, immobile saxum,
Immanesque furunt circum sine more procellae
Incassum, pelagi tumidas nam despicit iras.
Pingitur extremis quod erit crudele diebus
Bellum ingens, vires quum Satan exeret omnes
Invidus, exardens odio, implacabilis, atrox
Insana effinget similem sibi mente tyrannum,
Qui mare, qui terras, qui cladibus omnia miscet.
Sternitur at tandem: extremum hoc ex hoste tropaeum.
Has per signa stupent palmas, mirandaque facta
Ignari rerum cives felicis olympi:
Et qui decepti verbis et fraude rebelles
Ancipites haesere prius, data signa sequuntur.
O utinam starent omnes! tamen agmine facto
Innumeri subeunt aulae caelestis alumni,

Quos tenet altus amor Patris et reverentia summi.
Laetus ego donis sociisque haec mente precabar:
Magne Pater superum, Deus o fortissime, quisnam
Audeat assimilis fieri tibi? teque procaci
Insultans nisu solio exturbare superno?
Regnum uni tibi, te freti caelestibus armis
In pugnam ruimus: tu magnis annue coeptis,
Tum, Quisnam ut Deus? ingeminant clamore secundo;
Et, Quisnam ut Deus? ingens insonat aethere rumor
Vocibus innumeris: crepuerunt cornua: nostro
Agglomerant lateri iuvenes, exercitus ingens:
Extemplo galeae, clypeique et spicula mille
Apparent, hastae et loricae mille refulgent.
Haud aliter spissae, quum tempora messis, aristae
Exundant vastis, euris agitantibus, arvis.
Agmen agit dextrum Gabriel, fortissimus unus,
Ex septem solio Princeps astantibus alto:
Olli primus adest, auratumque exerit ensem,
Qui primus pellit felici e sede parentes,
Advigilatque fores, defensoque excubat horto.
Signa movet laevae Raphael dux maximus alae,
Brachia mucronem stringunt peltamque trilicem.
Olli Asmodaeus sit quanta potentia novit,
Ferrea coniectus deserti in vincla Canopi;
Nam bene tartareas scit victor frangere vires;
Saultiel atque Abiel haerent, duo fulmina belli.
Militiae medias acies dux ipse regebam.
Uriel est mecum splendenti lumine lucens,
Bellator trabea nodosa, insignis et hasta
Gauliel; hinc fidus validusque Barachiel, inde
Qui totam in noctem forti luctatur Iacob.
Nec minus instructo turmas agit ordine Satan.

Ingenio quisnam potior donisque supernis?
Siderea quisnam fuerat vel grandior aula?
Infandae heu! cladis tamen ingratissimus auctor.
Quid memorem primosque duces densasque phalanges?
Quidve iras caecove tumentia corda furore?
Hic ferus erigitur Belial, dein fortis Abaddon,
Et Behemoth ingens et sordidus Asmodaeus;
Immitis Baal, diro quoque pectore Seddim,
Effreni et Schirim et Samael, immania monstra.
Interea totus magnis clamoribus aether
Insonat, horrendumque sonum dant classica circum.
Continuo laevae partis dux primus Abaddon
Audax in Gabriel hastile intorquet et infit:
Oblite o decorisque tui decorisque tuorum,
Qui tanto raperis divinae Prolis amore,
Haec quondam tuus, hostis sed modo mittit Abaddon;
Haec quoque tu referas. Sic fatus viribus hastam
Iniecit totis: ictum sed reppulit umbo.
Ut noctu nebula quum circumfunditur aequor,
Si geminae cursum naves adversa tenentes,
Occurrunt, rapidis tranant dum marmora velis,
Horribili sonitu colliditur, et fragor ingens
Fit lateri ratis, hinc et viscera cassa dehiscunt:
Sic in bella duces ambo, sic ausibus aequis.
Sed Gabriel contra: Quaenam dementia cepit
Te miserum? Quaenam torquet vesana cupido?
Quidve audes? quae signa moves? sic corde recessit
Officium? fluxere animo sic dona Potentis?
Infelix! Haec dicta dabat, simul ense premebat
Fulmineo fugientem insanoque ore minantem.
Parte alia magno conantes impete turmas
Aggreditur Raphael, stricto mucrone sequuntur

Alati iuvenes: valido sed robore contra
Obiicitur Behemoth, flammasque furentibus addit
Et dextra et dictis: anceps victoria pendet.
Quales adriacae ventis agitantibus undae,
Nunc actam invadunt alternis fluctibus, et nunc
Se retrahunt, litusque salo fugiente relinquunt.
Tunc Raphael: Genus o divo de germine, fatur,
Eia agite, et devota Deo nil fortia frangant
Pectora: nonne Deus vobis? nonne ipse secundis
Ausibus aspirat, viresque et brachia firmat?
Durate: aeternaeque manent vos praemia laudis.
His dictis renovati animis conamine forti
Nituntur iuvenes adversa in tela ruentes;
Fit fragor: occursu tremefactus nutat olympus.
Ast ubi selectas media inter bella phalanges
Ipse agito, rumor pugnantum surgit ad aethram
Ingens, immensus, luctaturque agmine magno.
Quandoquidem Satan fortissima robora nostris
Obiicit, ingeniique vaferrimus exerit omnes,
Et validas dextrae vires atque infremit ira.
Haud secus immanis, rabies quem cogit edendi,
Deserit antra leo, pedibus nemus omne pererrat
Praerapidis, quassatque iubas, fremit ore cruento;
Sic Satan urget socios, et talia fatur:
Magnanimi o cives caeli, si gloria quando,
Si vos tangit honos, genus alto e germine divum,
Quis vestrum, genibus positis, procumbere formae
Mortali vilique ferat? non sufficit unus
Caelicolum Deus? indigna sub imagine Gnatum
Cogimur et colere? infandum! nec postea detur
Libertate frui? servi patiemur iniquo
Subdere colla iugo et palmas obstringere vinclis?

Non ita: pugnandum est: victoria laeta sequetur.
Haec ait ille furens: insanis pectora dictis
Incensus, magnique Dei sic raptus amore
Fabar ego: Infelix! haec ergo corde rependis
Iusta Deo, qui te tantis effulgere donis
Concessit, supraque alios excellere? quisnam
Ut Deus? audaci contemnes impius ore
Olli quod placitum? quis tu, qui scandere sedem,
Quam tenet Omnipotens, vesanis nisibus audes?
Caelestesque domos alta iam pace quietas
Exagitas turbis, fratrumque tot agmina versas
Fraude, dolis, mortemque infers tantamque ruinam?
Heu miser! haec dicens praesenti cominus ense
Aggredior, sequiturque cohors: it clamor ad auras,
Belligerum telisque strepentibus insonat aether.
Haec inter magni Proles aequaeva Parentis
Curribus ignivomis rapido secat aethera cursu:
Centum oculi centumque rotis flammantibus ardent,
Hostilesque acies obtutu et fulmine terret.
Tunc inimica gravi turbantur castra tumultu,
Et raptim fugere duces, fugere catervae.
Hinc domus aetheriae scinduntur moenia, et inde
Praeceps turba ruit caelis: haud decidit alto
Tam cito fulmineus, populis trepidantibus, ignis:
Excidium immane! ingens e regione superna
Tertia stellarum pars vellitur, ipseque Satan
Has cauda, monstrum iam nunc informe, trahebat;
Huic rubei species informi mole draconis,
Cervices septem, et septem diademata cingunt
Horrenda, exuperantque decem fera cornua frontes.
Quique super celsi rutilantia sidera caeli
Fulgebant specie pulcri et candentibus alis,

Continuo nunc monstra gerunt pro crinibus angues,
Implexi foedis sinuantque volumina caudis,
Membraque praetexunt villis atque hispida squamis:
Ore vomunt ignes, ignes et lumine iactant.
Extemplo miseros flammis et sulphure magnus
Obtegit oceanus, tenebrisque horrescit obortis:
Colla manusque pedesque rubentia vincula stringunt;
Et tantis spes nulla malis datur: ipsa fugit mors;
Ingentes lacrimae aeternum ingentesque ululatus:
Supplicium immane horrendumque, at crimine dignum.
Hoc mercedis habent ingrato corde rebelles!
    Dulcibus interea resonat concentibus aether:
Gloria, magne tibi Pater, atque invicta Potestas,
Regnum uni tibi, nostrae haud haec victoria dextrae;
Sed tua, sed virtus divini sanguinis Agni.
    Sic fatus Michael, clara se nube recondit.
Ah quo te rapis? erectis Laurentius ulnis
Insequitur, quid me solum sic, Dive, relinquis?
Quo fugis? ah tecum rapiar! Sic ille; sed haerent
Abruptae voces: etenim spelaea subibant
Iam Sipontini, noctis vix cesserat umbra,
Optantesque audire ferant quid monstra timendum
Sperandumve, sacri pendent pastoris ab ore.
Principis Aligerum felici ille omine laetus
Ex oculis quiddam divinum spirat et ore,
Ac pandit visum et nutantia pectora firmat.
Gestit ovans pia turba specum celebrare verendum,
Omnibus idem animus Michaeli et condere templa.
Nec mora; certatim studiis ferventibus una
Incumbunt operi tanto: regit omnia Drymas,
Cecropius Drymas, quo non praestantior alter
Fingere et ingentem saxis attollere molem:

Hic dat cuique aequas partes, operumque laborem.
Est olli gnatus, vitae quem flore docendum
Ingenuas artes genitor mandarat Athenis,
Illius exemplum studiis ac sorte secutus.
Laurenti iussu ad graias hic mittitur oras,
Marmora qui praelecta ferat, pariasque columnas,
Et quae multa decent templum ornamenta futurum.
Religio et sancti praesentia praesulis urget;
Namque opere indulget patrata piacula tergi,
Atque labore statis solvi pro crimine poenis.
Cuncta favent: Deus ipse benigno lumine lustrat.

ADNOTATIONES

V. 16 ***Magne Pater etc.*** — Hoc et quae sequuntur poemata Auctor inscripserat Pio IX Pont. Max.

V. 24 ***Quercubus annosis etc.*** — Garganus, mons Apuliae dauniae, ad cuius radices incolebant Sipontini. Modo vulgo dicitur: Monte S. Angelo. Horatius memorat querceta Gargani. Lib. II, Od. 9, vers. 7.

V. 26 ***In mare procurrens etc.*** — Gargani montes efficiunt promontorium, vulgo: Lo sperone dell' Italia.

V. 30 ***Sipontum etc.*** — Sipontum, sive Sipus.

V. 31 ***Dives opum etc.*** — Plures ex veteribus scriptoribus, uti Strabo, Plinius, Pomponius Mela, Livius, Gargani montis fertilitatem commemorant.

V. 40 ***Quum forte etc.*** — Vid. Chronicon Sigiberti et Brev. rom. et Baronium (Mart. rom.) ad diem VIII maii; visum, de quo agitur, obtigisse creditur an. Chr. CDXCII.

V 65 . . . . . ***praesul Laurentius urbis.*** — Laurentius Maioranus Episcop. Sipont. an. Chr. CDXCII. Hic dicitur consanguineus Imperat. Zenonis, et inter Sanctos recensetur, eiusque festum agitur Siponti VIII die feb. (Vid. Italiam sacram Ughellii).

V. 71 ***Iustinus etc.*** — Iustinus, primus Siponti Episcopus.

V. 121 ***Longum iter ingressi etc.*** — Sipontum distabat a loco speluncae sex milliariis. Vide Cavallieri Marcello, Il Pellegrino al Gargano, Napoli 1799, tom. 1.

V. 124 ***Quattuor ast aquilae, etc.*** — Vide opusculum italicum, cui titulus: Ragguaglio del Santuario dell' Arcangelo S. Michele nel monte Gargano, Napoli 1858, pag. 26.

V. 132 ***Irruit Asmodaeus etc.*** — Tob. cap. III, v. 8.

V. 160 ***Eventusque illi etc.*** — Alcuinus: Garganus ex eventu suo montis sibi vocabulum indidit.

V. 164 ***Spelunca aspicitur etc.*** — Vide opusculum italicum: Ragguaglio etc. pag. 27. Vide Cavallieri Marcello etc.

V. 167 . . . . ***cum marmore etc.*** — Vestigia pedum quasi hominis, ut fertur, a Sancto Michaele impressa. (Ragguaglio pag. 27. Vide Cavallieri etc.)

V. 169 . . . . . ***et purpureis etc.*** — Dicuntur etiam intus inventa altaria strata linis purpureis.

V. 191. *Spiritus alme, veni, etc.* — Eccles. hymnus, ut in missa de Spiritu Sancto. Utitur hoc Poeta, quamquam auctor hymni, Rupertus rex Galliae, floruerit saeculo a Christo undecimo.

V. 217 . . . . . *pegmata flammis.* — Similitudo sumpta ex ignibus festivis, vulgo: fuochi di Bengala.

V. 266 *Imperium occiduis etc.* — Occidentale imperium Romanorum defecerat sub Romulo Augustulo anno CDLXXVI.

V. 270 *Surgit Arabs etc.* — Maomethus.

V. 275 *Ionii volvunt etc.* — Victoria de Turcarum tyranno sub Pio V ad Echinadas insulas relata.

V. 277 . . . . . *at Christi grege etc.* — Photius auctor schismatis orientalis saeculo VIII.

V. 281 *Parthenidosque etc.* — Ichonomachi, quibus favet Imperator Leo Isauricus.

V. 286 . . . . *heros*, Gregorius VII.

V. 289 *Gallia Pontificem etc.* — Translatio sanctae Sedis Avenionem.

V. 292 . . . . *agitur cum Principe bellum etc.* — Princeps regni Persarum restitit mihi . . . . et ecce Michael unus de principibus primis venit ad adiutorium meum (Dan. X, 13).

V. 298 . . . . *quisnam erranti etc.* — Schisma occidentale.

V. 299 . . . . *divellitur Anglus etc.* — Schisma Henrici VIII.

V. 300 . . . . *Germania turpi etc.* — Haeresis Lutheri.

V. 323 . . . . *totidemque choros etc.* — Angelorum Chori ex Eccles. doctr. (idest Cherubim, Seraphim etc.).

V. 332 *Prima tenent loca etc.* — Seraphim, hebraea vox a Zaraph, quod sonat, ardere.

V. 335 *Vultibus et binae etc.* — Isaias VI, 2.

V. 340 *Isaia, eripiens etc.* — Isaias VI, 6, 7: Et volavit ad me unus de Seraphim etc. Et tetigit os meum etc.

V. 341 *Hinc pennata etc.* — Cherubim ita appellantur quia eminenti scientia praediti sunt, quam cum aliis etiam communicant (S. Dionys., S. August., S. Hieronym.).

V. 344 . . . . *custos erit arboris horti etc.* — Heden. Gen. III, 24.

V. 345 *Est chorus Alipedum etc.* — Throni ita dicuntur ex S. Bernardo, quod sedet in eis Deus, quam sessionem interpretantur: Summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem, quae exuperat omnem intellectum. L. G. de Consid. cap. 4.

V. 347 *Sunt et qui etc.* — Dominationes dicuntur, quia in eis maxime elucet supremum in res creatas dominium, dominationemque exercent in inferiores Angelos.

V. 348 *Clara movent etc.* — Virtutes, quia maxima virtute et fortitudine pollentes, causas universales movent.

V. 349 *Pollentesque etc.* — Potestates, scilicet in hostes infernos, ne hominibus noceant.

V. 350 *Quique etc.* — Principatus, idest duces in executione.

V. 351 *Missi etc.* — Archangeli et Angeli, scilicet nuntii, quorum primi de divinis mysteriis maioribus, alteri vero de minoribus.

V. 367 . . . . *pandetur olympus etc.* — Inter varias SS. PP. sentent. de qualitate peccati Angelorum, placuit eam sequi, quamquam minus assertam, de manifestatione eis facta Incarnati Verbi. Haec enim opinio poesi magis apta visa est.

V. 376 . . . . *Abaddon etc.* — Ex primoribus Angelis, cui nomen hebraice Abaddon: graece Apolyon: latine Exterminans. Apoc. IX, 11.

V. 414 . . . . *Altissimo etc.* — Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Isai. XIV, 14).

V. 422 *Quisnam ut Deus etc.* — Michael interpretantur: Quis ut Deus?

V. 428 *Et vexilla dabat etc.* — Praecipuae Ecclesiae victoriae D. Michaelis patrocinio referendae recensentur.

V. 505 . . . . *Gabriel etc.* — Gabriel interpretantur: Fortitudo Dei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum. Luc. I, 19.

V. 509 *Advigilatque fores etc.* — Gen. III, 24: Ante Paradisum voluptatis Cherubim.

V. 510 . . . . *Raphael etc.* — Raphael interpretantur: Medicina Dei.

V. 512 *Olli Asmodaeus etc.* — Tobiae III, 8.

V. 515 *Saultiel atque Abiel etc.* — In sacris Litteris habemus tantum nomina Michael, Gabriel, Raphael. In lib. Esdrae non canonicis nominatur Uriel, nempe Angelus lucis. Ex quibusdam revelationibus habentur quoque nomina Saultiel, Gautiel, Barachiel; quae tamen nomina improbavit S. Zacharias Papa anno DCCXLV.

V. 520 *Qui totam etc.* — Gen. XXXII, 24: Ecce vir luctabatur cum eo usque mane.

V. 603 *Centum oculi etc.* — Ezech. Cap. I, v. 18, et cap. X, v. 12.

V. 611 *Tertia stellarum etc.* — Apoc. cap. XII, 4: Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum caeli.

V. 613 *Huic rubei etc.* — Et draco magnus, rufus, habens capita septem et cornua decem, et in capitibus eius diademata septem. Apoc. XII, v. 3.

V. 630 *Gloria etc.* — Apoc. XII, 10: Et audivi vocem magnam in caelo dicentem etc. Apoc. XII, 11: Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni etc.

MICHAELEIDOS

LIBER SECVNDVS

ARGVMENTVM

Asmodaeus e corpore iuvenis, virtute Michaelis, eiectus, Satanae rem omnem aperit. Hic variis fraudibus opus templi studet deturbare, sed frustra. Tandem concilium cum suis init; hinc maxima tempestas oritur. Opifices Gargani diffugiunt, sed accurrit Episcopus, dolos daemonis pandit, et ad opus instaurandum compellit. Interim demortuo, ictu fulminis, operis architecto, eius filius sufficitur. Prodigia Gargani Pontifici Maximo Romam deferuntur, qui eidem caelesti Principi in urbe templum extruendum ad circum neronianum curat. At Satan, ut opus impediat, diram luem in urbem immittit. Michael, cum solemnis supplicatio esset, in summo arcis Hadrianae apparet. Cessat pestis. Ibi sacellum illi statuitur. Haec inter pius quidam homo, eremiticam vitam ducens prope Ianiculum, dicit quae futura essent bono urbis, patrocinio et nomine S. Michaelis. Illius sermonibus Quirites inflammati templa michaeliana in summo Circi expediunt et perficiunt.

Interea frendens pueri vix corpora liquit
Asmodaeus, adîtque atras invitus abyssos,
Inferno regi Gargani facta retexit,
Arcanumque specum et magni Michaelis honores,
Hostis et infensus quae nunc nova bella minatur.
Infremuit Satan, furiisque ingentibus actus,
Multa movens, alit antiquum sub corde dolorem.
Dum variis operum coeptis studet impigra Sipus,
Otia tuta, fovetque pios pax alma labores,
Parthenopen mittit Dagon, regemque Gothorum

Exacuit bello, veteres et suscitat ignes.
Horrendam ille erebi formam faciemque reponit,
Barbaricam vestit tunicam et praecingitur armis,
Dissimulatque ducem, regi qui carior unus
Suetus erat coetu acciri et praecedere turmas;
Compellatque virum: memorat Sipunta relictam,
Adverso fractos bello, gentesque Gothorum
Turpiter eiectas et castra et nomen inultum.
Cuncta favent; cernin? vacuam nunc civibus urbem,
Naviter intentis operi, nunc subdere ferro
Incustoditam, facili certamine, praestat,
Ulcisci acceptas clades atque arce potiri.
Nec mora, bellantes coeunt, rex instruit agmen
Barbarus et vallo Gargani culmina cingit.

Securi pacis studio, nec tale timentes,
Extemplo turbati animis trepidique pavore
Sipontini adeunt Patrem et mandata reposcunt.
Haud latuere doli, atque inferni principis astus;
Actutum dare tela iubetque repellere vim vi.
At pius antistes sacrum, cui praesidet antrum
Dux superum, petit, et lacrimis exorat obortis
Te, Michael, properes caelis delapsus ab altis
Auxilium ferre et fluxis occurrere rebus.
Ut Moses geminas supplex ad sidera palmas
Dum tollit funditque preces, hostilia passim
Agmina sternuntur victorque exultat Iudas;
Sic Sipontinis graditur victoria castris.
Namque ferunt, visas altum per inane catervas
Bellantum clypeosque graves hastasque tremendas
Currentesque equites hosti minitantibus armis.
Et caelis ignes tonitru micuere profundo
Luctum intentantes gothicis et funera turmis.

Intremit et tellus, late mugitibus aequor
Horrendum fremit. Ingenti tum castra pavore
Misceri, turpique fugae tum vertere terga.
Hinc victrix spoliis Sipus exultat opimis,
Antro signa dicat, meritum tibi, Dive, tropaeum,
Rursus et incumbunt operi fausto omine laeti.
At Satan pugna excisus non, invidus, artem
Deponit, cladem que novo molimine tentat.
Hinc oratores, quibus omnis copia fandi,
Mittere suggessit, donum et Sipunta referre,
Et pacem simulare et iungere foedus amicum.
Asper equus regi fuerat, conscendere nullus
Quem domitor, licet intrepidus, tentaverat unquam.
Impatiens, acer, quasque indignatus habenas
Exilit, exagitatque comas et calce repellit;
Regali pulcher cultu phalerisque decorus
Purpureis, gemma intextoque micantibus auro.
Mittitur hic Daunis, donum exitiale futurum
Pontifici, dum carpet iter; nam leniter orant
Legati verbisque tegunt fallacibus ausus,
Siponti lecti cives ut foedera pangant,
Et regem adveniant et moenia parthenopaea.
Haud fraudum ignarus comi Laurentius ore
Excipit et missos, nec tristia munera spernit;
Inceptam templi molem commendat amico
Drymanti; sublata et dextra, fausta precatus
Indomitum conscendit equum et tutissimus haeret.
Mitis at ille novo gaudet sub pondere, laetos
Edit et hinnitus et gestit corpore toto.
Miratur Gothus aspectu, mirantur et omnes.
Arripuere viam tandem, patremque ducemque
Siponti populus votis oculisque sequuntur.

Ut ventum ad pontem, pingues ubi Daunius agros
Amnis lambit aquis, peragrantibus horrida monstri
Obiicitur species: immani tergore serpens
Intercludit iter, sinuatque volumine magno
Subiectas turres, immensisque orbibus ambit;
Cui caput arrectum primo sub limine, flammas
Ardentes spirant oculi, linguamque trisulcam
Vibrat et horrendum spumanti sibilat ore.
Diffugiunt trepidi visu; Laurentius imo
Monstrum immane premit pede: praesentissimus astat
En Michael, minitantem hostem multumque frementem
Impulit in tenebras: agitatis fluctibus amnis
Aestuat ingenti strepitu reboatque profundo.
Sic erebi infractae vires: miracula rerum
Tanta feros mutant animos, mutatur et ipse
Barbarus, et multo venientem amplexus honore
Pontificem colit: inde tibi pax reddita, Sipus;
Inde tibi referet deiectum insigne draconem.

At Satan, quum nulla recens avertere templum
Aligerum Summo videt et perstare labores,
Acciri socios iubet, et nova praelia tentat.
Insonat horribili strepitu fera buccina; circum
Undique tartareae reboant clangore cavernae;
Atque vomunt imis immania monstra latebris.
Impiger et Moloch, et qui caede cruentus Abaddon,
Et Rhamon cauda squamisque rigentibus horrens,
Chamos et Dagon, et qui mortalibus aegris
Damna parant, animasque ignito vortice volvunt;
Quique homines oblectans mollibus Asmodaeus
Ludit imaginibus, visis et turpia fingit;
Qui caelo nubes tempestatesque ciere
Saepe solent, tonitru terras et fulgure terrent,

Hirsuta Schirim facie, specieque draconis
Sammael, quondam Hevae fraudis fabricator iniquae,
Et Behemoth referens hircum, rictuque leonis
Vastator Seddim, formaque Beelphegor ursi.
Concilium stetit horrendum: tum sede rubenti
His dictis Satan ora indignantia solvit:
O socii, mihi quos fidos expertus olympo,
Infanda heu recolo! quum victi cessimus alto
(Defuit haud virtus; sed nos fortuna fefellit),
Hostis et ille novos elata mente triumphos
Exagitat; superum premit implacabilis ira;
Olli nequidquam satis exturbasse supernis
Sedibus, et victos erebi traxisse sub umbras,
Suppliciis torquere aeternisque urere flammis.
Insectatur adhuc: nostrum stat perdere regnum,
Ac nobis, quotquot prima sub origine rerum
Artibus ingenii non vi devicimus omnes,
Eripit, et fracti bello quas linquere caelo
Cogimur immeriti, mortales sedibus infert.
Montibus ut sibi divini reddantur honores,
Nunc italos signis et imagine fallit inani.
Et videam et patiar? procumbunt fana vetusto
Iam cultu celebrata, labant simulacra deorum,
Postquam romanas Piscator venit ad arces,
Intulit et signum infestum. Quis numina posthac
Nostra colet? quis delubris responsa requiret?
Ergo agite, atque animis quae sit sententia vestris
Pandite, et afflictis, si fas, occurrite rebus.
Haec Satan: breviter Sammael tum talia fatus:
Certa mihi superest ratio, qua rursus Adami
Victa ruat soboles: multum nunc fraude dolisque
Nitendum, vanae species et inania monstra

Ignaros ludent; armis utamur iisdem
Queis ferus ille: equidem, credo, tentasse iuvabit.
At Schirim contra: non hoc, non ausibus istis
Tempus eget: memini phariis quid talia terris
Profuerint, regem Moses quum tanta moneret.
Siponti modo fervet opus, modo viribus aequis
Incumbunt omnes; animos discordia scindat;
Turba insana Babel repetet ludibria turris.
Ipse facem incendam, ipse egomet... Sed dicere plura
Conantem Seddim rumpit sic voce procaci:
Omnia vos fugiunt, socii: mihi fidite; Satan,
Fide mihi; nequaquam hodie spernemur inulti.
Aedificant alii? vastabimus: aut ego vecors
Aut facile haec fient vindex quae pectore volvo.
Annuit his Satan: quae namque potentia Seddim
Vastanti insideat, novit; tunc murmure magno
Solvitur immanis coetus; quisque abditur antris.
Ast ardens barathro Seddim prorumpit opaco:
Infernae subeunt turbae; tunc agmine facto
Adriaco incubuere mari: pacata procellis
Aequora turbantur subito: vapor obruit altum;
Adversi perflant venti: similisque columnae
Ingenti typhon convolvit ad aethera fluctus;
Exuperat litus, tunc impellentibus euris
Garganum aggreditur: radicitus eruta pinus
Volvitur et rabidis quercus ludibria ventis.
Ingruit interea crepitanti murmure grando,
Et reboant tonitrus, crebris micat ignibus aether.
Ingemuit Drymas: demisso poplite, palmas
Sustulit ad caelos, et supplex talibus orsus:
Magne Deus, rerumque Pater, quid tanta repente
Ira premit, nubes et inhorruit atra tenebris,

Fulguraque imbresque atque imis maris aestus arenis?
Numquid opus renuis tantum? desistere coeptis
An nos cogemur? sanctam sic conspicis aedem,
Maxime Dux superum? Nostri si cura remordet,
Affer opem: viden ut vulgus dilabitur omne,
Utque abeunt trepidi?... Iactat dum talia Drymas,
Haud fugit ipse, animos et vultu et vocibus addit.
At qua parte recens Michaeli conditur aedes
Tempestas sine more furit, rapiuntur in auras
Roboraque ingentesque trabes, imisque latebris
Fundamenta labant aut vasto absorbet hiatu
Terra tremens, lapidesque rubentia fulmina frangunt.
Diriguere omnes: mens est trepidantibus una
Diffugere et specubus sese altisque abdere silvis,
Quo timor impellit: pavidos amentia cepit.
Ast ubi rescivit stygios Laurentius ausus
Et nova quae summo Gargani monte geruntur,
Ingemit, approperatque iugum; tum templa relicta
Desertumque locum videt eversosque labores:
Ingemit, et causas irarum mente volutat.
Ut sacer advenit praesul, fugere catervae
Tartareae: placido actutum stetit aequore pontus,
Et nubes abiere polo: sol fulgidus axe
Caeruleo totum perfudit lumine montem.
Tunc animus rediit fugientibus, affore vix dum
Pontificem norunt: posita formidine cuncti
Affluxere: suis solatur vocibus ipse:
Qui timor iste novus? mea dulcia pignora, quonam
Sic ruitis subito? confidite: non ego vester
Et pater et custos? pavidas depellite curas.
Inceptine piget? numquid sine numine Divum
Admovisse manus operi tantosque labores

Est subiisse datum? Satan acerrimus ille,
Ille hostis terrae caelique avertere molem
Conatur, superisque recentes invidet aras;
Ille furens avidos typhones excitat, ille
Agglomerat caelo nubes et fulgura iactat.
At Michael iam fortis adest, fugit ille: videtis
Linquat ut infernos Satan perterritus ausus?

Praesulis adventu quamvis inferna potestas
Victa fugit, tamen est ingentis causa doloris.
Qui regit artifices, qui temperat omnia pollens
Ingenio Drymas, crudeli heu! fulminis ictu
Occidit: indoluere omnes, Laurentius ipse
Indoluit primum, nescit namque affore quemquam
Siponti tantam norit qui tollere molem,
Virtutesque viri praeclaraque facta recenset
Spemque fidemque animi et magnae pietatis amorem.

Advenit ecce ratis, mittit qua munera Zeno,
Byzanti tunc regna tenens; nam rumor ad urbem
Ut venit, statuit solemnes protinus aras;
Nunc lectos lapides et centum divitis auri
Pondera dat largus, decorat Garganaque templa.
Muneribus Sipunta ipsis quoque laeta carinis
Advenit peregrina manus, quae viserat oras,
Christe, palaestinas, sacro quas sanguine tingis.
Hos inter gnatus Drymantis venit eoo
Litore, multa ferens templo decora alta futuro.
Ille redux patriam cupidus sua tecta petebat.
Iam caros patris amplexus, iam gaudia fingit
Mente avida, ignarus fati; vix appulit, ardens
Emicat in litus, patremque suosque requirit
Anxius. Interea sustollunt corpus humandum
Drymantis; fletu cuncti luctuque sequuntur.

Haeret in obtutu natus, dat pectoris imo
Ingentem gemitum, feretro procumbit, et amens:
Heu miserande pater! sic me, sic deseris? inquit:
Sic nato abriperis? sic morte occumbis acerba?
Oh felix mater! nec in hunc servata dolorem!
Iampridem aeterno claudis nam lumina somno.
Ast ego quid?... quid adhuc vescor vitalibus auris?
O genitor, mihi solus amor, mihi dulce levamen,
Qui mihi cedenti patrio de litore nuper
Incolumis membrisque valens aevoque virenti
Dulcia figebas centum mihi basia centum;
Nunc tantum exanguem cerno, nunc frigida membra
Amplector, miser! atque amplexu pascor inani.
Ista gemens iuvenis singultibus interrumpit,
Effusisque rigat lacrimis exangue cadaver.
Ingeminant fletus et ripas questubus omnes
Adriacas complent, resonant et culmina questus.
At pater occurrit Laurentius, intima quamquam
Pectora discruciat dilecti casus amici;
Fletu deiectum relevat sic ora resolvens:
O patre digne puer, tanto ne cede dolori:
Non omnis periit Drymas; nam spiritus astris
Effulget superis; terris compage relicta,
Felices animas extollit ad aethera virtus.
Pone modum lacrimis: Michael invexit olympo
Heroa insignem meritis atque alta merentem
Praemia; caelesti nunc te tutatur ab arce
Semper amans, et si genitor te funere liquit,
Fungar ego patriis vicibus; te semper amabo
Ut gnatum: patris interea namque arte peritus,
Tu princeps operum Gargani coepta parentis
Perficies; merito vestigia magna sequeris.

Haec dicens, ulnis iuvenem complexus utrisque
Lenit et exuviis paulatim tristibus arcet.
At iam Sipontum defert moestissima turba
Exanimem; resonant lugubria carmina templo,
Vota Deo fundunt, fletu lucemque precantur;
Ardentes circum taedae, sublime cadaver
Imponunt lecto et panchaeo ture vaporant;
Victima devotis sine sanguine redditur aris
Grata Deo: iustae nec desunt praemia laudis.
Dein tumulo corpus sacro de more recondunt,
Moerentemque crucem ponunt et carmine signant:
— O Drymas salve, atque aeternum pace fruaris. —
Inferiis tandem expletis iustisque solutis,
Instaurant opus, optantes Laurentius urget:
Quique peregrini Byzanti e litore nuper
Advenere, animum studiumque lubentibus addunt.
Quandoquidem referunt Michael portenta Colossis
Quanta dedit, quum se manifesta luce videndum
Obtulit, et mare concussum est, et terra profundis
Contremuit latebris, et Constantinus eois
Finibus imperii princeps quum conderet urbem,
Caelesti delubra duci statuebat et aras:
Hinc populi pietas, festa et repetita quotannis.
Talia dicta viris et summi principis aurum
Muneraque incendunt animos; pars viscera montis
Pertentant ferro atque ingentia saxa revolvunt;
E silvis pars ligna trahunt, laquearibus apta,
Pinorumque trabes, et duro robore quercus,
Fulcimenta parant templo, et secta abiete tigna
Contexunt, caeduntque immani mole columnas:
Effodiunt alii imis fundamenta latebris
Abdita, sublimes ducunt ad sidera muros.

Hi caementa ferunt, later hic, hic ignibus imbrex
Excoquitur, denso nigrescunt culmina fumo,
Aera hic flammarum vasta fornace liquescunt:
Ut populum clamore ciant e turribus altis
Paulinus docuit, dedit et Campania nomen.
Undique fervet opus: pueri matresque puellaeque,
Ingeniosae ut apes aestivo tempore cellis
Rorida mella parant, certant conferre laborem.
Parte alia tabulas, niteant queis intima templi
Pingit graia manus: referent tua maxima gesta,
Magnanime o Dux Aligerum, partosque triumphos.
Nec satis est aedi totas intendere vires;
Ulcisci fraudes hostis sedet alta cupido.
Lucus erat, Pilumne, tibi quem caeca vetustas
Condidit, et medio Gargani culmine signum.
Huc gens acta furit, simulacra evertit et igni
Dat nemus; absumunt ingentes omnia flammae.
Effugit et Satan; tum vertice dodonaeo,
Une et Trine Deus, tibi maxima templa patescunt.
Sed iam Gargani Romam miranda ferebat
Fama volans: audit laetus qui maximus orbi
Hic sedet Antistes: memorat quo numine terris
Christiadae pugnent infernaque praelia vincant.
Ille animo versat magnae inter moenia Romae
Solemnes aras, solemnia templa dicare.
Romula plebs paribus studiis mandata capessit.
Circus erat, ludis quo saepe assueta vetustas
Exercere viros videt et contendere bigis,
Aut pugiles agitare gravi certamina caestu.
Hunc prope delectus templi locus, ut foret alma
Religione sacrum, foedis quod ritibus ausa est
Gens temerare: novo contendit Roma labore.

Sirius interea ignavos adduxerat aestus:
Arescunt fontes, rimis deserta fatiscunt
Arva: tacent zephyri, gravibus sed plumbeus auster
Incumbens alis flores et gramina siccat,
Aut caelo nebula sol circumfunditur atra,
Aut iacit ardentes flammarum ex orbe sagittas.
Nec ros mane solum, neque noctis temperat umbra:
Diffugit ex oculis somnus, nec membra quiete
Fessa levant homines, effetae corpore vires;
Languet opus. Vidit Satan, qui victus ad oras
Adriacas artem rabiemque haud fractus omisit,
Compellat socios: erebo tunc protinus imo
Immanis Dagon et sordidus Asmodaeus
Et Behemoth Belialque ruunt, et durus Abaddon
Et Moloch, ingens et Baal innumerique sequuntur
Inferni proceres pollentesque arte nocendi;
Invadunt urbem, clades et funera miscent.
Non secus Aegypti Pharao quando impius audet
Spernere iussa Dei Iudamque obstringere vinclis,
Erumpunt populantque infestae culta locustae.
Praecipites ponto incumbunt, tiberinaque contra
Ostia compellunt ventos, ne defluat unda
In mare decurrens; tumidis tum fluctibus amnis
Exuperat late ripas et cornua tollit,
Bacchaturque, trahitque furens pecudesque hominesque.
Letiferae putrent corrupta per arva paludes,
Tabescit passim rabidisque caloribus aer
Inficitur, tota pestis dominatur in urbe.

Principio febris serpit sed lenta, colorem
Nec tamen amittit vultus, mox glandula turget
Turpis, et axillis apparet et auribus ulcus,
Quod cito putrescens sanie disrumpitur atra;

Postula nigra cutem et carbunculus inficit artus;
Membraque dein foedis effervent tabida bullis.
Tum segnis capiti torpor, tum lumina languent
Fessa sopore gravi, diro praecordia morbo
Uruntur, varias ludunt deliria mentes:
Et simulacra modis, fertur, pallentia miris
Mortales pavidos noctis terrere sub umbris.
Pingitur hinc miseris moestissima mortis imago;
Namque improviso toto torpescere vitam
Corpore percipiunt, datur et via nulla salutis.
Haec inter magno perterrita corda timore
Diffugiunt et rura petunt carosque relinquunt,
Posthabita pietate: virum sic deserit uxor,
Sic mater gnatum; quid non mortalia vitae
Pectora cogit amor? quin, lamentabile dictu!
Accidit. Egregiam primo sub flore puellam
Patricia de gente, opibus vultuque nitentem
Corripuit miseranda lues, qua saevior unquam
Nulla fuit; pulcro paulatim corpore vires
Deficiunt, tristique elanguent lumina vultu,
Decolor os, imos morbus depascitur artus;
Amplius haud dulci iuvat indulgere quieti,
Haud ulla lenitur ope aut campestribus auris.
Tum timidae fugiunt famulae tectumque relinquunt.
Haeret cara soror, servitque fideliter aegrae:
Urget amor, curae sollers nec deficit ulli.
Ast infanda lues propiorem carpit, et uno
Sternuntur lecto, mox uno funere raptae;
Proh dolor! heu pietate pares facieque decorae!
Exuviae tumulo geminae conduntur eodem.
Illas flent matres, illas flet romula pubes,
Et frustra laetos qui speravere hymenaeos.

Felices ambae! tetigit nam nulla voluptas
Corpora, virgineumque pudor servavit honorem:
Hanc fletus vallem laeto mutastis olympo:
Dum virtus terris, dum praemia laudis habebit
Religio, vestrum nullo Urbs erit immemor aevo.
    Neve machaonia feralis vincitur arte
Morbus (causa latet namque alte et pestis origo),
Nec potis est hominum occultis sollertia rebus.
Hinc ubi quisque luem serpentem sentit, ut esset
Victima certa neci, moesto iam corde iacebat.
Non illi vitae cura aut spes ulla subibat.
Ergo non inter cives nec moenibus urbis
Pestilitas tantum furit; improvisa colonos
Pervadit totisque furens bacchatur in agris.
Robustus cadit hic succisis messor aristis,
Villicus aut, fessos solvit dum vomere tauros;
Hic anus occumbit, ramis crepitantibus igne
Dum pulmenta coquit pueris et adorea liba.
Quin et mortifero pervadit bruta veneno;
Per campos passim sternuntur, perque viarum
Compita setigerique sues niveaeque capellae
Et caper et brevibus ludentes cornibus haedi.
Saepe solum dum forte gravi bos scindit aratro,
Decidit extemplo mediis moriturus in arvis:
Quique alacer lentas equus indignatus habenas
Vel rapido gaudet cursu vel gramine campi,
Segnior ad stabulum leto succumbit inerti.
Et canibus gliscit rabies, ipsaeque volucres,
Dum volitant, (tristis tanta inclementia caeli)
Praecipiti lapsu media moriuntur arena.
Tu quoque, Tibri, tuos infecto flumine moerens
Volvis, et extinctos iactas ad litora pisces.

Fama est immanes ima tellure colubros
Exisse, et rabidos spumas saniemque vomentes
Mortifero fontis latices temerasse veneno.
Hinc dum dira sitis torquet, dum saeva libido
Urget dulcis aquae, gelidisque levarier undis,
Lenimen miserum! venit mors atra, priusquam
Sit laticis cari labiis expleta voluptas.
Sternitur immensum vulgus, velut arboris altae
Excussae ramis glandes, et passibus aequis
Incedit mors, atque aurata palatia pulsat
Sordentesque casas; iam nunc deest tempus humandis
Corporibus: magis hinc putrescit tabidus aer,
Et nocet afflatu, atque augent contagia vires.
Dein vix solvuntur funebria iusta peremptis,
Aera tacent, sonitu luctus ne luctibus addant.
Interea tanta percussi clade Quirites
Orabant veniam lacrimis, et templa subibant
Solliciti largis cumulatum altaria donis.
Quum tot damna premant miseros, est una levamen
Religio, properant sacri divina ministri
Auxilia, haud mortem veriti, dum cetera carpit
Turba fugam, donis mulcent caelestibus aegros.
    Maximus indoluit Pastor, quum civibus urbem
Exhaustam vidit, nulli stat parcere curae
Sollicito patri: miseros nam visit, eosque
Subsidiis et ope et verbis solatur amicis,
Et supplex templo caelestia numina poscit.
Nulla movent superos vota, et furit improba pestis.
Ergo solemnes ritus populumque frequentem
Pastor inire preces iubet atque expromere votum.
Omnis septeno graditur plebs ordine: primum
Sancta sacerdotum manus: hos inter gravis ore

Idem divini custos gregis atque magister.
Hinc subeunt sexu distincti ac coetibus omnes,
Qui mundum exosi sacra inter tecta dicantur;
Inde puellarum puerumque, et cetera turba
Romulidum, viduaeque, iugali ac foedere iunctae,
Et pius exoritur clamor, collesque resultant.
Te, rerum Sator omnipotens, divum atque hominum Rex,
Saepe vocant hymnis, teque, o dulcissima Virgo,
Te, Michael, summi dein quisquis es incola caeli.
Iamque propinquabant turri quae maxima Tibrim
Prospicit, hoc dudum miranda mole sepulcrum
Aelius, imperii Romae dum sceptra teneret,
Condidit et lapide ingentem construxit in orbem;
Quum subito apparet sublimi in culmine vultu
Aliger insignis pulcro et candentibus armis:
Attamen haud quidquam minitans, quin ore benigno
Plebem adventantem et subiectam conspicit urbem;
Ponit et auratum ensem vaginaque recondit.
Continuere gradum visu, mentesque stupentes
Gaudia pertentant insueta, et fida subit spes.
Dira lues fugit extemplo, stygiaeque catervae
Praerapidae fugere, dolor luctusque resedit;
Romulidae gratum tollunt hinc carmen ovantes,
Approperantque aedem sacram pro munere tanto
Magne, tibi, Michael, votum immortale daturi.
Affuit immixtus populo et delubra subibat
Vir fama notus, siquidem radicibus aurei
Montis, ubi Petrus trunco suspensus in alto est,
Ianiculique sacram perfudit sanguine terram:
Vitam agitat duram saxosae rupis in antro.
Hic incultus, inops, grandi spectabilis aevo,
Nocte dieque preces fundit, ieiunia longa

Ingeminat macie confectus, et hispida mento
Barba riget, nudis figit vestigia plantis,
Cingit fune latus, villis asperrima vestis
Membra tegit, dextramque rudis sustentat arundo.
Plebs ubi prospexit venientem, plurima circum
Mirandum virtute virum cingebat, ab ore
Pendet, mens etenim vati est praesaga futuri.
Ille: Animum revocate, inquit, moestumque timorem
Mittite, Romulidae: Michael dilapsus ab astris
Nam tegit. Ut Satan implentem cladibus urbem
Vidit, adest praesens iuvenumque exercitus ingens
Alipedum servat cives, infernaque monstra
Tartareumque ducem stygias detrudit in umbras.
Heu cessate malis, cives; nam Numinis ira
Iusta premit, sontes et saevo vulnere torquet;
Hinc horrenda lues; oratus flectitur almi
Principis Omnipotens precibus; vidistis et ipsi
Prodigium excelsa turri dum conderet ensem.
Sit satis ah! sceleri; o cives, persolvite poenas
Flagitii dignas, maledictis parcite, rixis
Sanguineas prohibete manus: quid turpia verba,
Infandum! turpi quid vos obvolvere coeno?
Quid sanctas violare domos et templa profanis
Polluere aeternique Dei contemnere iussa?
Quid?... Sed promeritas praestat modo reddere grates,
Atque intermissos iuvat instaurare labores,
Ut sacra magnanimo Michaeli splendeat aedes;
Dignum opus; inceptis alacres instate secundis.
Quin etiam veteris sublimi in vertice molis,
Magnus ubi Michael manifesto numine visus,
Olli religionis honos et rite sacellum
Tollatur, seri memorent portenta nepotes:

Aere rigens signum celsa spectabile turri
Emineat, referatque ducem, gladiumque repostum.
Vix haec verba senex dedit, exardescere pectus
Iam propiore Deo sentit, maiorque videtur
Ipse sibi, dein fatidico sic ore locutus:
    Felix Roma, tegit Michael quam grandibus alis,
Caelicolum princeps Michael ac terror averni,
Pontifices servat summos, vigil exerit ensem
Fulmineum, celsa sedet invictissimus arce.
Tempus erit; Tibris clades et funera cernet,
Adversis cives discerpent partibus urbem,
Saevaque patriciam scindet discordia gentem.
Quique regit pecudes Christi pecudumque magistros
Diffugit, et sacra tegitur Michaelis in arce.
At muris iugulo pendens informe cadaver
Aspicio, horrendum facinus! tulit arma rebellis
In Patrem haud veritus docilem subvertere plebem.
Plectitur ingratus merito, poenasque rependit;
Urbs quid enim tanto turbatur romula luctu?
Bellica terrificum tormenta imitantia fulgur
Flammantes iaciunt globulos, tonitruque profundo
Anfractus ripaeque amnis collesque resultant:
Barbarus in mediis bacchatur moenibus hostis,
Atque avidae rapuere manus aedemque domosque,
Ingentemque auri vim gemmarumque nitorem;
Aelia Pontificem turris complectitur, umbra
Obtegit immensa Michael; ignita volat glans,
Immanemque ducem letali vulnere sternit.
Protinus exhalantem animam videt impia turma;
Maximus ac tandem disrumpit vincula Pastor.
Mitior apparet Michael: prope litora surgunt,
Tibri, tua ingentes tanto sub nomine moles,

Tecta patent miseris; sollertibus atria scalpris
Ampla sonant: excultae artes, manus impigra plebis
Assuescit duro vitae sub vere labori.
Hic viduae tergunt lacrimas, hic grandior aetas
Effractas reparat vires, tardamque senectam
Ducit, honoratae et florent virtute puellae,
Quae, nimis heu cito! raptos ingemuere parentes.
Hic erit et vates, sacro qui carmine laudes
Corde pio, Michael, avet et tua dicere facta.
Magnanime ah precor, o Princeps, precor, ore benigno
Aspice et orantem, nec dedignare canentem.
Cernitur hic heros, florens dum curreret aevum,
Et solari aegros iuvenumque effingere mores
Mitis amans; illum matura aetate Parentem
Christiadum Romae summum diadema coronat.
O Itali, o Itali! quae vos dementia vexat?
Quo miseri ruitis? magnum cur nomine Patrem
Et pietate Pium crudeli figitis ictu?
Eccur insidiis populos agitare, dolisque
Mentiri dulcem patriam et praevertere sacri
Principis imperium et quae religione verenda
Flagitiis miscere, Dei nec parcere templo?
Umbra favet noctis: Princeps e colle Quirini,
Albas exutus vestes positaque tiara,
Incomitatus abit: Michael tutatur euntem,
Hospitiumque parat regale et litus amicum
Ac reditum laetantem almae inter moenia Romae.
At nova tartareis erumpit foeda cavernis
Bellua, dente fero rapitur pars optima plebis
Principis augusti sceptro: non deficit usquam
Auxilio Michael, attollit signa, sequuntur
Nomine qui tanto gaudent, coeuntque sodales

Atque inopem largo sustentant munere Patrem.
Nam quantus terris luctus, quam tristia vexant
Christiadum reginam urbem, qua carior unquam
Caelicolis haud ulla fuit, nec amantior ulla!
Retibus ut volucres, sic circumcingitur hoste,
Qui fremit attollitque iras: Deus imperat, ut iam
Principio rerum, late irrumpentibus undis,
— Usque huc — et rabiem frangit fluctusque tumentes.
Tempora volvuntur varia vice: moenibus altis
Romulidum densis tempestas ingruit umbris;
At subito lux clara micat, facilisque sereno
Parthenis ore Patri suprema in sede sedenti
Protendit palmas et amicis vocibus infit:
Surge, o surge mei, Senior, dulcissima cura,
Tu, bone, me tantis conclamas plausibus orbis
Conceptam sine labe, novo et diademate cingis;
Ecce tibi terris sertum caeloque datura
Immortale adsum. Dixit: fugere catervae,
Adversi fugere duces, ceu fumus in auras,
Tutus et ille sacra tandem ditione potítus
Integra regna tenet: populosque ex ore cruento
Abripit et centum nodis centumque catenis
Pestem, indignantem frustra, detrudit averno.
Subridet pax alma, Italis felicior aetas
Incipit, et placido labuntur saecula cursu.
Pastorem colere et regem, Romane, memento.
Hinc tibi partus honos, hinc grandis gloria, gentes
Hinc regis, aeternum hinc toto dominaberis orbe.

Fatus ubi haec senior, demisso poplite palmis
Supplicibus (populusque subit) sic voce precantur:
Te, splendor Patris et virtus, te, vita tuorum
Christiadum, Iesu, festivis tollimus hymnis;

Agmina namque tuo pendent caelestia nutu,
Mille duces caelis te cingunt, mille coronant,
Et faciunt mandata: Crucis sed signifer almae
Vexillum attollit Michael; caput ipse draconis
Tartara in ima premit, superaque e sede protervos
Infractos bello aeternum iaculatur in ignem.
Immanem contra atque elata voce tyrannum,
Principis Aligerum victoris signa sequamur;
Nos cinget divus sertis felicibus Agnus;
Sint tibi, magne Pater, rerum magnoque Parenti
Progenies aequaeva, tibi sint, Spiritus alme,
Aeternum laudes, aeternum in saecula nomen.
Sic orant pariter; vates cito cessit in antrum
Ianiculi; incensis animis tum dicta capessunt
Inceptumque opus instaurant complentque Quirites.

ADNOTATIONES

V. 24 ***Barbarus et vallo etc.*** — Ragguaglio c. II. Cavallieri etc.
V. 34 ***Ut Moses etc.*** — Exod. XVII, 11 et seq.
V. 99 ***Impiger et Moloch etc.*** — Nomina, quae ponuntur, omnia ex sacris Litteris desumpta sunt: quaedam vero daemonum, quaedam vero idolorum: sed ex Psalmo XC, 5: Dii gentium daemonia.
V. eod. . . . . . . ***Moloch.*** — Sive Melchon, deus Ammonitarum: Levit. XVIII, 24.
V. eod. . . . . ***Abaddon.*** — Latine, Exterminator: graece, Appolyon (Apocalip IX, 11).
V. 100 ***Et Rhamon.*** — Deus Damascenorum: Reg. IV.
V. 101 ***Chamos.*** — Numen Moabitarum, idem quod Ammon, latine, Crapulator; videtur Bacchus.
V. eod. . . . . ***Dagon.*** — Numen Philistinorum, figura mulieris in piscem desinentis instar Tritonum.
V. 103 . . . . . . ***Asmodaeus.*** — Latine, ignis Mediae, seu ignis turpis: Tob. III, 8.
V. 107 ***Schirim.*** — Latine, hirci facie sive hirsuta facie.
V. 108 ***Sammael.*** — Angui insidens Hevam decepit, idem quod Angelus mortis.
V. 109 ***Et Behemoth.*** — Idem quod Bellua: Tob. XI, 10.
V. 110 . . . . ***Seddim.*** — Latine, Vastator.
V. eod. ***Beelphegor.*** — Creditur Adonis, Osiris, numen impudicitiae sive obscenorum: Num. XXV, 3.
V. 156 ***Ast ardens etc.*** — Describitur meteora ex physicorum doctrina; vulgo, tromba marina: Vid. Marmocchi, Corso di Geografia universale, sviluppato in 100 lezioni. Vol. III, lib. 2, lezione 44, pag. 119, ediz. 4ª.
V. 283 ***Quandoquidem etc.*** — Etiam Colossis illustris S. Michaelis apparitio fuit, sed incerto tempore.
V. 286 . . . . . ***et Constantinus etc.*** — Constantinus Imperator, ipse aedes S. Michaeli Byzantii dedicaverat.
V. 312. — ***Lucus erat, Pilumne etc.*** — Numen, Pilumni nomine, eo tempore adhuc Gargano in monte colebatur.
V. 316 . . . . . ***tum vertice etc.*** — Ubi fanum Iovis dodonaei, ibi SS. Trinitati templum dicatum est.

V. 318 *Sed iam etc.* — Ut habetur in Breviario die VIII maii Pontifex Max. Romae templum S. Michaeli dicavit in summo Circo, auditis Gargani portentis. Clar. vir Caietanus Marinius in quodam opere inedito: De inscriptionibus doliaris pag. 226, quod asservatur in Bibliotheca vaticana, demonstrat eo loco esse, quo nunc habetur aedes S. Michaelis prope Vaticanum.

V. 359 *Principio febris etc.* — Vide Gibbon: Storia della decadenza dell' Imp. rom. cap. 43, ubi memorat Procopium, qui naturam pestis describit, quae saeviit Romae, S. Gregorio Magno Pontifice, anno DXCIII, scilicet post saeculum a templo Gargani condito. Auctor sic utitur anacronismo, uti assolent poetae.

V. 457 *Omnis septeno etc.* — Vide Rohrbacher: Storia universale della Chiesa Cattolica, lib. 47.

V. 468 . . . . . . *quae maxima etc.* — Moles hadriana.

V. 521 *Olli religionis etc.* — Romae in arce hadriana, vulgo Castel S. Angelo, extat sacellum S. Michaeli dicatum, et in summo arcis signum S. Michaelis gladium in vaginam recondentis.

V. 532 *Tempus erit etc.* — Arx S. Michaelis, etiam turris Crescentia nuncupata a gente Crescentia, perfugium Pontificibus saepe praebuit.

V. 537 *At muris etc.* — Stephanus Porcarius, nobilis Rom. ob coniurationem appensus muris arcis michaelianae, Nicolao V. Pontif. Max. An. Chr. MCDLIII.

V. 541 *Urbs etc.* — Obsidio arcis S. Mich. in quam Clem. VII Confugerat an. MDXXVII.

V. 550 *Immanemque etc.* — Dux, nomine Borbone, letali vulnere accepto ex arce michaeliana, moritur in aede S. Michaelis, vulgo, dei Corridori. Arma eius in aedibus Vaticanis asservantur.

V. 558 *Mitior etc.* — Hospitium S. Michaelis ad ripam Tiberis, pro pauperibus pueris et senibus utriusque sexus alendis et instituendis erectum.

V. 562 *Hic erit et vates etc.* — Auctor praefuit quinquennio hospitio apostolico S. Michaelis ad ripam maiorem Tibridis.

V. 566 *Cernitur hic heros etc.* — Pius IX P. M. qui praefuit hospitio michaeliano ad ripam Tiberis maiorem.

V. 577 *Umbra favet noctis etc.* — Mense novembri, an. MDCCCXLVIII, Pontifex noctu Roma fugiens Caietam secessit.

V. 581 *Ac reditum etc.* — Die XII aprilis MDCCCL.

V. 586 *Nomine qui etc.* — Societas S. Michaelis, Monachii in Bavaria instituta: Vid. Apologista 5 Marzo 1862.

V. 606 *Tutus et ille etc.* — Fausta haec Auctor promebat anno MDCCCLXIV, quum primum hoc poema typis edidit.

V. 617 *Te, splendor Patris etc.* — Hymnus Ecclesiae: Te splendor et virtus etc., qui ponitur hic, quamquam auctor Rabanus Maurus vixit saeculo nono.

MICHAELEIDOS

LIBER TERTIVS

ARGVMENTVM

Perfecto post annum templo Gargani, plurimi ex catholico orbe peregrini, invisendi gratia concurrunt, quos inter Albinus, Consul occidentalis, magno comitatu munera deferens. Describitur sacra aedes, praesertim sex tabulae affabre pictae byzantino more. Prima habet quae Michael pro Synagoga tuenda egit. In secunda prostat occisio exercitus Sennacherib. Tertia praesefert Danielem Prophetam. Quarta manum Aligerum, quae, duce S. Michaele, dapes Christo in deserto post ieiunium esurienti praebet. Quinta exhibet Michaelem in horto Christum solantem. Sexta demum S. Petrum e carcere Solymorum mirabiliter eductum. Die statuto, nempe III kalend. octobris anno CCCCLXXXXIII, templum a Laurentio Episcopo sacris donatur. Solemnis ritus dedicationis describitur. Episcopus (qui inter Sanctos nunc recensetur) in homilia, quam habet, plurima de S. Michaele ac de Gargani specu et templo futura praedicit. Postremo, occasione psalmi, *Exurgat Deus*, qui ultimus in solemni dedicatione canitur, de Christi Ecclesia et de triumphatis hostibus multa praenunciantur.

Iam felix, Gargane, polo delapsus ab alto
Quandoquidem Michael terris magis omnibus unum
Te colit, et tanto te praesens auget honore.
Iam te Carmeli, iam te Libanive Galaadve
Praefero verticibus. Gentes it fama per omnes,
Christiadasque inter toto celebraberis aevo
Religione sacer; seiunctis orbibus una
Affluere huc populos, visuros Principis aedem
Aspicio, et sacras humiles procumbere ad aras.

Nec tamen arcanum, sacris de more dicandum
Ipse dicat Michael, quod praesens incolit, antrum,
Quodque docet resonare melos, radioque coronat
Saepius aethereo caeli delecta iuventus.
Ast ubi templa novo surgunt splendentia cultu,
Optatum adventasse diem ritusque sacrandos
Antistes monet. Autumnus iam depulit aestus,
Libraque iam terras circum septem egerat orbes;
Invitat lux alma, vocat mitissimus aer,
Silvae frondentes et rore nitentia prata.
Huc Sipontini, huc devotae plurima gentis
Copia, longinquis peragrans devenerat oris.
Hos inter, multa peditumque equitumque corona,
Consul in occiduis Garganum Albinus adibat;
Munera dat: pateram auratam calicemque coruscis
Distinctum gemmis, byssos altaribus albas,
Taedas, munus apum, panchaei turis odores,
Ornamenta sacris, holoserica texta, ministris.
Ventum erat ad templum; admirans tunc omnia lustrat:
Porticus ante fores, bissenis alta columnis,
Suggestis totidem gradibus sustollitur aedis.
Se ternis aditus portis bipatentibus offert.
Cardinibus postes strident ex aere rigentes,
Ac mediis insculpta nitet Michaelis imago.
Insignes capiti galeae cristaeque comantes,
Flavi lene fluunt per eburnea colla capilli.
Nil mortale refert: loricis pectora cingit
Aureis; fulmineus dextra distringitur ensis;
Sub pedibusque premit Satan de sede ruentem:
Atque huic viperei crines, deformia squamis
Corpora, pesque manusque ferinis unguibus horrent.
Cernitur haud facies, palmis latet abdita utrisque;

Nam faber obscenum scalpris aequare tyrannum
Desperans, rictus praestanti condidit arte.
Mirum opus! heu ululantem audis fremituque cadentem.
Parte alia magnum flammis undantibus aequor
Conspicitur, manesque pii, moestissima turba,
Igne natant medio, palmas et lumina caelo
Supplicibus tollunt lacrimis; tum praepete penna
Advolat et Michael optantes inserit astris.
Iam limen subiere; statim spectacula magni
Alliciunt oculos templi; sublime lacunar,
Effulgens auro pictisque coloribus, alta
Contegit, ac pariis utraque ex parte columnis
Nituntur muri, queis magna minoribus aula
Dividitur binis, spatioque extenditur ampla.
In longum veluti media spectabilis unda
Conspicitur navis patefactis regia velis.
Marmora calcantur constrata, adytumque verendum
Exornant lapides, Italis quos Africa mittit.
Assurgit gradibus, niveaque crepidine maior
Ara, tegunt quatuor laqueraria celsa columnis,
Finibus Aegypti quas ornamenta profanis
Transtulerat quondam delubris romula virtus.
Maxime nunc tibi Dux, meliori sorte renident.
Absidis alta micant musivis pulcra lapillis;
Denique campano turris quae personat aere
Tollitur exterius, molem et supereminet omnem:
Summa triumphali fulgent fastigia ligno.
At vero tabulis rapiuntur lumina senis
Queis paries hinc inde stupenda pingitur arte.
Prima peragrantem populum desertaque late
Praesefert Arabum loca, flexos atque reflexos
Calles incertumque iter erroresque viarum:

Nam pharias postquam terras et regna Canopi
Deserit Abramidum proles, et Mose magistro
Dura nimis per monstra abrumpit vincla tyranni,
Pennigerum errantes tutatur numine Princeps.
Olli quandoquidem carae custodia prolis
Tradita Iacobi est: Pharaonis ferrea vicit
Pectora, maiores absumpsit funere natos
Nocte una, mare discidit, mediasque per undas
Erectas muro assimiles transvexit Iudam,
Qui tutus siccis ponit vestigia plantis:
Insequitur rex: ac procumbit murmure magno
Pontus, et effusis merguntur fluctibus hostes.
Ergo quater denos longis ambagibus annos,
Desertos Arabum postquam petiere recessus,
Errant Hebraei: Madian hic horrida bella,
Hic et Amorrhaeus parat et crudelis Amalec.
Fortis adest Michael, specie modo nubis opacae
Castra praeit vigil, aut splendentis luce columnae.
Congreditur, pugnamque regit victricibus armis.
Apparet longe mons Nebo, et culmine montis
Exanimis Moses; Satan tamen ipse futurus
Exitio plebi simulat decorare sepulcrum,
Et Ducis inferias: ignota at corpus arena
Conditur imperio superum, fera damna minantem
Satana tartareas Michael detrudit ad umbras.

Pingitur hinc rex qui Lachis obsidione relicta
Assyrius parat Aethiopas pervadere bello;
Innumeros agitat currus, et mille virorum
Agmina, tendit iter quacumque abscondita tantis
Obruitur tellus armis et flumina siccat.
Infelix o dux, qui iactas impia verba,
Abramidumque audes insultans temnere Numen!

Nox erat, et fessi sternebant membra sopore
Per campos fusi pedites, lorisque solutis
Arrecti currus: somno vinoque natantes
Et proceres primique duces tentoria servant.
Arma silent, rarique ignes, temulentus et ipse
(Tanta fides rerum) secura mente tyrannus
Auratis thalamis interque aulaea recumbit.
At Solymae lacrimis miscentur et omnia luctu,
Et rex ipse caput foedatus pulvere, veste
Discissa templum ingreditur, sanctusque senatus
Auxiliumque Dei supplex et numina poscit.
Vota cadunt: complentur enim quae praescius olim
Isaias monuit: Michael, ceu fulgur, in hostes
Irruit assyrios nusquam, sic efferus ante:
Heu quo castra metu, quot cladis miscet acervis!
Rabsaces cadit hic fortis, quum nuncius iret
Insultans Solymam obsessam, vomit impia verba!
Caeditur et Tartan, omnis cui credita gaza
Assyrii regis: non olli profuit auri
Pondus, non gemmae, aut multus tentoria miles
Circumstans; Rabsar moritur, quo carior ullus
Haud regi fuit, invictisque potentior armis.
Innumeri cecidere duces, sine nomine vulgus
Immensum; facies mortis non omnibus una;
Quandoquidem rabidis nox intempesta procellis
Ingruit, effusisque ruunt torrentibus imbres,
Cuncta trahunt hominesque immani gurgite volvunt.
Interea iaciunt dissectae fulgura nubes
Horribili tonitru; fugientes protinus ignis
Absumit; ripaeve cavae saltusque profundi
Praecipites rapiunt, mortale aut cordibus ulcus;
Luctus ubique, gravi turbantur castra tumultu,

Territaque inter se convertunt agmina ferrum.
Ast ubi bellipotens Michael letalibus armis
Aggreditur, multo profundunt sanguine vitam
Innumeri, ceu falce cadunt messoris aristae.
Tanta stupet vix dum rex funera circumspexit
Et passim totis effusa cadavera castris,
Maturatque fugam, praeceps festinat ad urbem,
Protinus immiti quem tollunt funere nati.
    Tertia quae templi dextrae depingitur alae,
Fert tabula impasto Daniel Babylone leoni
Obiectum: siquidem mendacis facta draconis
Detegit et picea sollers interficit offa.
Inde sacerdotum furor, immedicabile vulnus,
Qui certo immerito festinant perdere leto.
Interea senos iam sol compleverat orbes,
Et daps nulla datur puero, rabiemque leonum
Extimulant, nec oves, nec bina cadavera ponunt.
Sed Solymis vates Habacuc messoribus escam
Dum parat, extemplo correptus crine per auras
Tollitur, ad foveam Babylonis ducitur altam,
Dentibus intacto saevis dat adorea liba:
Praestitit haec Michael, Iudae cui credita cura est;
Hinc ubi praepes adest, persa cum Principe bellum
Vincitur: et fractis post tempora longa catervis,
Abramidae dulcem patriam sedemque revisunt.
Et tegitur Daniel, quum lectos inter ephebos
Mancipium Assyrii regales incolit aedes
Numinis interpres, regi qui somnia pandit,
Regnorumque vices, populos casusque futuros;
Praemonet et Iudae clades, et fortia gentis
Robora, et assertas multo cum sanguine leges,
Certaque divini felicia tempora partus.

Contra parte alia Christi spectatur imago,
Et loca deserta, et vix ulla in rupibus arbos
Abruptis, rarae hic in opacis vallibus herbae;
Putre solum multa ventis miscetur arena;
Nec fons irrigua nec rivulus obstrepit unda.
At longi anfractus, latis et hiatibus antra,
Horrida tecta feris ululantibus; haud hominum vox.
Hic Iesus macie squalens, ieiunia postquam
Sole quater deno durarat; lumina languent,
Inculti capiti crines incultaque barba;
Olli dira fames aegros confecerat artus;
Et vix forma viri. Michael at missus ab alto
Caelicolumque manus, faciem velantibus alis
Instituere dapes, hominique Deoque ministrant.
Dein longe apparent Solymorum moenia, rivus
Haec prope volvit aquas, oleis hic consitus hortus,
Late intempestae noctis moestissimus umbra;
Nubibus incertam offusis dat pallida lucem
Luna polo, stratique viri tres gramine tristes
Obducunt iam nunc languentia lumina somno.
Haud procul exciso muscosis rupibus antro
Aspicitur Christus; pallor diffunditur ore,
Genua labant, trepidique artus et pectus anhelum,
Aeternumque Patrem lacrimis exorat obortis.
Quin etiam toto proiectus corpore terrae
Languet, sanguineis et rorat gramina guttis.
Volvitur ante oculos tristissima mortis imago:
Opprobrium crucis, effrenae convicia plebis;
Diris serta rubis, atque ingeminata flagellis
Vulnera: latrones subeunt, et pocula fellis,
Quique fuga liquere Ducem, et periuria Petri,
Et tantis agitata Parens moestissima curis.

En astat Michael, dictis solatur amicis
Languentem nimis, attritumque et multa dolentem:
Et memorat quantum humanae sacra victima genti
Proderit, et vacui completa sedilia caeli,
Ausibus unde ruit praeceps legio acta nefandis,
Heroum genus et partos de morte triumphos
Atque homines avidis raptos e faucibus orci,
Victricemque Crucem totis effulgere regnis.

Demum sexta oculis tabula inspectantibus offert
Inclusum Solymis obscuro carcere Petrum.
Palmas obstringunt et ferrea vincula plantas,
Aeratasque fores alterno milite circum
Custodes vigilant: altae tamen ille quieti
Corpora dat; nullae placido nam pectore curae
Insontes agitant: subito lux emicat ingens.
Advenit en Michael, summi cui cura Magistri
Tradita Christiadum; latus olli percutit, alto
Excitat e somno, facili dein ore profatur:
Surge cito, Petre, vestes et sandalia cinge;
Me sequere: his dictis fractae cecidere catenae;
Ultro panduntur portae, praeit Aliger; ille
Pone subit, liber graditur, frustratur inani
Spe populus, Solymis et iniqui principis astus.

Postquam mirati tabulas, mirantur et omnem
Ingentem templi molem, pariasque columnas
Et musivum opus, ac celsis laquearibus aurum.
Cernere erat populum totis effervere portis,
Ire redire viam, et scrutarier omnia visu:
Haud secus aestivo formicae tempore certant
Provisam cererem radicibus abdere quercus,
Approperant coeuntque haud segnes agmine longo.
Et Calabri adveniunt, et qui tua litora lustrant,

Parthenope, et Samnis pellax atque incola Tibris,
Illirici Venetique ac alta e rupe Pelori.
Istrum quique bibunt, Euxini aut aequora verrunt:
Et Gothus, Italiam qui tunc ditione premebat.
Sol vespertinas moriens infecerat umbras;
Adventat Pastor; sedem, qua sancta supellex
Asservatur, adit; plebs ac manus inde secuta est
Multa sacerdotum; sacris se vestibus ornant;
Aurea reliquias heroum capsula condit,
Effuso qui, Christe, fidem cum sanguine signant,
Despiciuntque necem; fumant et turis acerrae:
Insonat et laetis circum concentibus aether
Totam per noctem, atque alterno carmine psallunt,
Ante sacros cineres meritis et laudibus orant.
Expectata dies tandem surgebat eoo
Litore, purpuream diffundens aethere lucem.
Cuncta favent, lenes aspirant suaviter aurae,
Molliaque humenti pellucent gramina rore,
Frondentesque silent Gargani in vertice quercus.
Affluit interea variis regionibus ingens
Vis populi, matresque simul, iuvenesque senesque
Et Sipontini desertis moenibus urbis.
At quoque festivi decorant solemnia ritus
Pastores septem, quorum plebs credita Christi
Unicuique sua est, incessu atque ore verendi,
Effulgent capiti gemmis auroque tiarae,
Splendida sacrorum dant pallia corpora circum.
Ut caelis omni delecti ex ordine septem
Aligerum primi solio stant Omnipotentis;
Sic Patres adsunt septem, haud sine numine Divum,
Quum, Michael, Gargana Deo tua templa dicantur.
Proiectus foribus templi Laurentius alta

Voce praeit, geminatque preces: O Christe redemptor,
Inclamant, audi orantes, miserere tuorum;
Te, Pater omnipotens; te, Spiritus alme, precamur;
Te quoque virginea quae magnam eniteris alvo
Aeterni Sobolem; teque, o fidissime Ioseph;
Maxime tu vatum, monstras qui praevius orbi
Servatorem hominum; vos et pulcherrima caeli
Agmina, pennati iuvenes, quos emicat inter
Magnanimus Michael, tanti cui dantur honores.
Bisseni Proceres totum sermonibus orbem
Qui replent sanctis, et divi facta Magistri
Maxima doctrinamque docent; qui saeva tyranni
Supplicia instantis spernunt animasque profundunt.
Quique Patres populis Christi caelestia praebent
Pascua, virgineo vel quae candore refulgent,
Quotque estis demum suprema in sede beati.
Talibus ad postes praesul prono ore precatur;
Surgit, et exterius sacram ter circuit aedem,
Murosque hyssopo et fundit lustralibus undis;
Et te, summe Pater, te, Gnate, et Spiritus alme,
Invocat; et Satan erebum tremefactus adibat.
Hinc pius auratis antistes ostia virgis
Pulsat, et extemplo candenti in veste minister
Praepes adest aperitque fores; ast aede profanum
Arcet adhuc vulgus. Tunc parent intima templi
Nuda tamen, lychni sed circum lumine fulgent.
Bisseni, binisque solum cinis arida zonis
Conspergit crucis in speciem, queis littera graiis
Et Latii formis virga describitur ima
Praesidis, ut pateat sociari graeca latinis
Religione, fide, capite et coniungier uno.
Hinc vinum cineremque et sal post fausta precatus

Miscet aquae Pastor, sublimisque insonat hymnus.
Unda Dei sacra per verbum caelestis, et unda,
Quam terris veneranda premunt vestigia Christi,
Unda, altis quae pressa iugis non clauderis, et quae
Illidis scopulos, nec frangeris, undique magnam
Quae circumfundis terram, nec deficis unquam,
Quam neque demergunt immania pondera montes;
Quin etiam caelo sublimis in aere pendes.
Tu, Iuda fugiente, procul dissecta recedis
Hinc atque hinc monti similis, perque arida sicco
It Moses populusque pede: ac vix accola Nili
Tentat iter, perdis resolutis fluctibus hostes,
Una eademque salus Israel et criminis ultrix;
Te rupes percussa vomit, neve abdita Mosis
Imperio refugis: iucundis imbribus arva
Fecundas, dulcique aestum solamine lenis;
Membra levas gratus labiis arentibus humor;
Tu venis terrae erumpis, cursuque perenni
Visceribus caecis imisque meatibus erras
Et rursum sine fine fluis: bene fausta precamur,
Unda Dei, sacram lustres nunc omine sedem
Felici et late caelesti flumine rores;
Et tribuas bona cuncta atque almae munera paeis.
Sic Pater orabat, septemque altaria circum
Insequitur vicibus, funditque aspergine lymphae
Multa precans: omnis paries ter funditur aedis.
    Interea Christi heroum sacra ossa feretro
Aptant, auratis quae cingit purpura vittis.
Praecedunt sancti, populo subeunte, ministri
Ad numerum laudes cantant, et lumine sistunt.
Inde sedens facili pater haec Laurentius ore
Incipit: Augustis quae sit reverentia templis

Aeternique Dei domibus, solemnia vota
Solemnesque preces retegunt ritusque verendi:
Namque Sator rerum immensus, quamquam omnia terris
Compleat et caelo, atque ingenti luce coruscet,
Has tamen elegit sedes; hic hostia sanctas
Magna sacerdotum manibus mactatur ad aras.
Has Deus ipse colit: nebula se condidit alta
Maiestas Domini, Solymis dum templa manerent;
Ast hic ipse Deus: labem lustralibus undis
Abluit hic primum genus infelicis Adami,
Qua totum inficitur, vix dum spiracula vitae
Accipit: hic Agni mundantur sanguine culpae;
Hic crucis inscriptus signo, quum balsama frontes
Sacra linunt oleumque, suis dat Spiritus almus
Invictumque animum septenaque munera gnatis.
Hic aris iurata fides et foedere sponsi
Perpetuo iuncti, varioque ex ordine sancti
Pontifices oleo divinis rite dicantur.
Mystica liba merumque Patri gratissima summo
Dona ferunt, et sese victima Filius offert;
Divum opus, aligeris nunquam concessa potestas.
Christiadas hic panis alit delapsus ab axe,
Atque pios fovet et nutantia pectora firmat;
Usque asservatur, votis favet usque precantum.
Hic orat populus; fecundis nubibus imber
Arida culta boum et sitientes irrigat agros.
Hic orat: fugiunt infenso dente locustae,
Dira lues, gladiumque furentia bella recondunt.
Heu miseri! quicumque domum temerare superni
Numinis immemores audent. Domus Omnipotentis
Numquid erit, trepido dictis, spelunca latronum?
Non ita: namque Deus propria hic in sede triumphat.

O Sipontini, Christo quos maximus ipse
Ipse Petrus parit, ingrato sic corde parentum
Gloria defluxit? Iustinus et agmina mille
Heroum sanctam obsignantum sanguine legem.
O Pater, o superum et generis Sator optime nostri,
Aegris affer opem; fletus tu dulce levamen,
Tu fidus tumido iactatis aequore portus,
Una medela malis, certae spes una salutis.
Tempus erit, Gargane, tuum quo nomen in orbem
Fama feret totum, longo et celebraberis aevo.
Fausta dies, Michael, tibi quae solemnibus aedem
Ritibus hanc dicat: hanc dilectam semper habebunt,
Semper honoratam, Christum qui litore eoo
Hesperiove colunt; peragrans huc plurima turba
Adveniet supplex, aris imponet honores:
Maximus ipse gregis Pastor procumbet ad aras,
Et dux imperii gemmatam fronte coronam
Deiiciet, nudusque pedes et vilis amictu,
Multa dolens, supplex properat peregrinus ad antrum:
Sic nemorum cultor parta pro caede iubebat,
Sic meritas luet effuso pro sanguine poenas.
Tu quoque Gargani felicia culmina vises,
Sancte heros, quem dat mirantibus Umbria terris
Innumerae patrem prolis, vestigia Christi
Ardua tu sequeris: tu mollia quaeque perosus
Una pauperie ditissimus, effugis urbem,
Et pedibus nudis, nuda et cervice, revinctus
Fune rudi latus, et detrito tegmine corpus
Huc properas, templum terrae proiectus adoras;
At subiisse specum (tanta est reverentia) sanctum
Abnuis, et memori signum sub caute relinquis;
Quale videt Solymae, quam turpia crimina foedant,

Frontibus Ezechiel inscriptum, ut letifer ensis
Vindicis Aligeri; quando replet omnia luctu,
Transeat, et tanta signatos caede reservet.
Insignem pietate virum sed munere ditat
Nusquam exaudito Michael; nam rupe sub alta
Arcano recreat visu, et dat vulnera Christi.
Sed tremitu tellus labat et succussa dehiscit,
Tecta ruunt, fugiuntque acti formidine cives.
Heu Sipontini, mea dulcia pignora, nati,
Parcite flagitiis et iussa facessite Divum.
Heu scelera, heu clades! eversam funditus urbem,
Desertosque locos, desertaque litora cerno;
Sed nova iam surgunt felici moenia coepto
Haud procul, atque novo dicuntur nomine regis.
Sed quo mente feror? teque, o fortissime Princeps,
Praetereo, nostram qui praesens incolis aedem!
Quid memorem tua facta? tuas quis dicere laudes
Rite valet? caelo devictaque praelia terris
Quis referet partosque immani ex hoste triumphos?
Per deserta Arabum loca dux peragrantis Iudae
Tu fortes populumque praeis servasque periclis;
Bella geris; Iosue monstratas auspice tanto
Ingreditur terras victor; non agmina mille
Mille duces Chanaan, non arma infensa morantur.
Quid iuvat immenso praecingere moenia vallo
Ardua, et ingentes munimine condere turres?
Infelix Iericho! clangit sacra buccina septem,
Et septem vicibus mirantem exercitus urbem
Circumit: et muri cito praecipites procumbunt.
Christiadas acies ducet fortissimus heros;
Vincuntur Persae, divo perfusa cruore
Barbarica Crux rapta manu sic reddita; templo

Sic, Gargane, parat votivo ex marmore signum.
Qui pius occiduum felici sorte Quirini
Restituet sceptrum, Christi dum fertur in hostes,
Armiger astat eques pennis et vestibus albis,
Caeruleumque refert vexillum et lilia fulgent
Aurea vexillo: Michael, te poplite flexo
Ille prius coluit; victricis praemia palmae
Detulit, ac tota iussit ditione quotannis
Festa referre tibi. Nam te quoque protegit alis,
Gallia, praeruptosque inviset numine montes;
Magnus amat Michael montes et montibus antra.
Bellica gens quae iam Mavorti fana dicabat,
Haec eadem tibi nunc meliori nomine sacrat,
Dux bellatorum Michael, tu castra praeibis
Gallica, quum divo perfusam sanguine terram
Crudelis temerabit herus, cunabula Christi
Barbaricis rapies manibus, magnumque sepulcrum.
Te tremit immanis saeclorum in fine tyrannus,
Qui populos Christi mentito nomine fallet;
Quum mare, quum tellus, quum grandia sidera caelo
Turbantur; quum luna ruit, tenebrosus et axe
Sol negat ardentes trepidis mortalibus ignes;
Et gentes in bella furunt, et terra profundis
Motibus excutitur nutans, inhumataque multis,
Horrendum visu! iaciuntur corpora campis:
Tunc Michael tandem caelesti praepes ab arce
Christiadum afflictis properat succurrere rebus,
Immanemque virum minitantem et dia volentem
Iura sibi, media Solymorum obtruncat in urbe,
Extremumque dicat caelis tibi, Christe, tropaeum.
Fatus erat; subeunt mox templum, altaribus ossa
Sacra locant mediis et multo ture vaporant,

Ingeminantque modos; atque ipsa altaria circum
Tolluntur crebro nebulae redolentis acerrae:
Saepius haec inter iustus memoratur Iacob.
Quandoquidem, nutu patris quum pergeret Haran,
Sistit iter, cedente die, dein gramine stratus
Supponit lapidem capiti indulgetque quieti:
Tunc olli visum, scalis terramque polumque
Arcanis iungi atque aulae stellantis alumnos
Ire redire gradus, summoque cacumine stantem
Abramidaeque Deum spondentem grandia genti;
Evigilat, miranda animis haec somnia volvit,
Erigit in titulum lapidem Dominoque dicatum,
Vota precesque vovet, pinguique offundit oliva.

Ergo sacer totum princeps altare perungit
Desuper iniectis oleis, ac deinde coruscant
Quinque faces granis turis, ceraque liquente:
Plurima perque auras crepitans it virgula fumi:
Ara etenim Christum simulat, qui stipite diro
Figitur, infandum scelus! et manantia late
Vulnera divinum perfundunt quina cruorem;
Auratis insculpta Crucis duodena columnis
Pontificis pariter tinguntur pollice signa.
Et vestes auro rigidae, gestamina mystis,
Lucentesque faces, lychni mantiliaque alba
Lustrantur precibus sanctaeque aspergine lymphae.
Et simul interea laetis concentibus omnes
Christicolum Christique ferunt per saecla triumphos.
Iessaei sic iam cecinit mens provida vatis.

Exurgat Deus: ingenti formidine tacti
Diversi fugiant hostes; Deus exere vultus,
Agmina deficient odiis adversa nefandis,
Igni ut cera fluit, tenues ut fumus in auras.

At Domino celebrent epulas agitentque choreas
Insignes pietate viri; laetantibus hymnis
Dicite, namque altis Dominus superinsidet astris.
Te coram trepidant hostes: Pater optime, moestas
Tutaris viduas, puerosque parentibus orbos:
Omnipotens, tua templa colis, quae ritibus isdem
Mortales habitare facis. Fortissime, vinclis
Vinctos et mortis miserandos carcere solvis.
Te duce, quum populus deserta sede vagatur,
Terra iugumque tremit Sinae, caelumque liquescit
Selectis largum servans heredibus imbrem,
Afflictosque levas, gregibus nec pascua desunt,
Pauperibusque dapes. His qui bona verba loquuntur,
Et dabitur virtus, et copia plurima fandi.
Invicti reges dilectum pone sequuntur,
Et spoliis speciosa domus ditatur opimis.
Si vos haud aequa vexabunt sorte pericla,
Vincetis, niveo similes splendore columbis,
Queis auro pallet dorsum, superumque hominumque
Rex sedet, et terris discernit sceptra tenentes,
Et vincunt candore nivem, qua culmina summi
Albescunt, sic grata Deo sic pinguia Selmon.
Pingues at quisnam montes nunc mente volutat?
Mons est quem tenet ipse Deus, Deus usque tenebit.
Iste Dei currus, decies quem millia cingunt
Agmina laetantum, subeuntque cacumina Sinae.
Astra, Deus, scandis; tecum et iam compede vincti,
Neve accepta negas genti quoque dona rebelli.
Dicamus bona verba Deo, dum vita manebit;
Securum nam sternit iter portuque receptat.
Nobis ipse salus, nos funere servat acerbo,
Conteret et caput infensum, et qui crimine vitam

Traducunt miseri. Basan fugere phalanges,
Atque imo periere mari: cruor impius hostis
Ora canum tinget: videant vestigia summi
Sancta Dei Regisque, omnes praeeuntibus una
Principibus cantu resonent citharisque puellae.
O gens Isacidum, festivis coetibus effer
Carmina laeta Deo: Nephthali una ipse Zabulon
Mentis in excessu, Beniamin et fortis Iudas:
Exere virtutem, Deus, et quae grandia facta
Ostendis, firma. Solymis tibi munera templo
Magna ferent reges; pelletur bellua densis
Abdita arundinibus, taceant populique frementes.
Ut tauri vaccas inter, qui pellere certant
Conciliis homines argenti more probatos.
Et gentes disperde, volunt quae iurgia belli.
Legati advenient pharii, dextramque dedere
Aethiopes Domino: laetantes dicite cantus,
Terrae regna Deo, caelum qui scandit eoum.
Ecce dabit voci virtutem: gloria Iudae
Ipse decusque: Dei fertur super astra potestas.
Dicatis bona verba: viris mirabilis ipse
In sanctis Deus et virtus et robur Iudae.

Haec festiva canunt, tantis et templa resultant
Vocibus, insignes sic Christi pulcra triumphos,
Sponsa, tuos recolunt magnum et per saecula nomen.
O Michael, viden ah! quantis agitata procellis
Impetitur modo cymba Petri? quasi volvitur undis,
Adversique furunt venti clademque minantur.
Bella movet Satan terris, horrentia bella,
Et Christi pecus ut perdat, pecudumque magistros.
Exere virtutem: magnis assueta triumphis
Dextera, Bellipotens, infernum conterat hostem;

Et qui romulea pastorum maximus aula
Insidet, et toto dispersos orbe potenti
Christicolas regit imperio, dulcissima cura
Sit tibi: victorem tantis averte periclis,
Optataeque frui da tandem munere pacis.
Sic mihi carminibus libuit tua dicere facta,
Maxime Dux superum, meritas et solvere laudes:
Imberbis si te nobis quum curreret aetas,
Custodemque patremque pio sectamur amore;
Si colimus, tibi si delubra dicamus et aras,
Praesens affer opem, tot namque affligimur aegri
Obruimurque malis: magni tu numinis umbra
Protege, dum terris vitales ducimus auras
Et gelidas mors atra manus dum tendit et umbris
Eruptus stygiis Satan fremit ore tremendo.
Tu, bone, tu pavidum tanto in discrimine serva,
Ereptumque feris e faucibus inserê tecum
Caelicolas inter, votum immortale daturum.
Et quae moerentes Aesi meditamur ad oras,
Nam fera iussa premunt vexatque immitis erynnis,
Tenuia quantumvis, Michael, ne carmina spernas,
Gargani devota tuae quae ponimus arae.

Anno MDCCCLXIV

ADNOTATIONES

V. 10 *Nec tamen etc.* — Antrum Gargani dedicatum est ipsa Michaelis praesentia. Hinc dedicatio, de qua agitur, fit tantum de novo templo, eidem caelestium Principi sacrato.

V. 17 *Libraque etc.* — Dedicatio templi in monte Gargano a poeta fit die XXIX septembris, qua festum dedicationis S. Michaelis agitur. Sol ingreditur libram die XXI septembris: dedicatio vero incipitur die XXVIII ad vesperas, ut ex Pontificali romano.

V. 23 *Consul in occiduis etc.* — Albinus erat Consul Occidentalis an. CDXCIII. Vid. Annales clar. viri Muratorii.

V. 71 *Prima etc.* — In Breviario, die VIII maii legitur: Eum (scilicet S. Mich.), ut olim Synagoga Iudaeorum, sic nunc Custodem et Patronum Dei veneratur Ecclesia.

V. 93 *Apparet etc.* — Vid. Epist. catholic. Iudae Apost: Cum Michael Archang. cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore: vers. 2.

V. 99 *Pingitur etc.* — Occisio exercitus Sennacherib, regis Assyriorum, quae contigit in via Aegypti: II Paralip. XXXII, 21, et Calmet: Dissertatio de hac re: Vide Isai. V, 24, 28.

V. 121 *Rabsaces etc.* — Tres tantum duces exercitus Sennacherib nominantur, idest Rabsac, Rabsar et Tartan: Vide Calmet.

V. 145 *Protinus immiti etc.* — Sennacherib quatuor post annis a filiis suis interfectus.

V. 146 *Tertia etc.* — Daniel, dirupto dracone, mittitur in foveam leonum, ubi sex diebus versatus est sine cibo. Habacuc cum cibos messoribus in Iudaea pararet, ab Angelo Dei per crines abreptus, cibos ipsos Babylon Danieli defert. Septimo die rex ad foveam venit, et in medio leonum Danielem viventem deprehendit. Poeta haec omnia S. Michaeli Patrono tribuit, quum nomen Angeli in sacris libris notatum non reperiatur.

V. 160 . . . . *persa cum Principe etc.* — Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum (Daniel. X, 13).

V. 170 *Contra etc.* — Matth. IV, 11: Ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei. Marc. V, 13: Angeli ministrabant ei.

V. 184 *Dein longe apparet etc.* — Luc. XXII, 43: Apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum. Vers. 43: Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

V. 210 *Demum etc.* — Acta Apost. X, 8.

V. 237 *Et Gothus etc.* — An. Christi CDXCIII Gothi Italia potiebantur.

V. 257 *Pastores septem etc.* — Episcopi septem interfuerunt dedicationi templi. Vide Cavallieri, op. cit.

V. 268 *Te, Pater etc.* — Litaniae, vulgo, de' Santi, quae dicuntur ante fores templi dicandi. Descriptio dedicationis. Vid. Pontif. rom.

V. 301 *Unda etc.* — Translatio precum super aquam, iuxta Pontif. romanum.

V. 324 *Interea etc.* — Vide Pontif. romanum.

V. 362 *O Sipontini etc.* — Fertur ipse S. Petrus, cum S. Marco iter faciens, Sipontinos catholicam fidem docuisse.

V. 370 *Tempus erit etc.* — Quum Episc. sipontinus Laurentius inter Sanctos recenseatur, merito ei spiritus propheticus tribuitur.

V. 377 *Maximus etc.* — Leo IX Pontif. Max. MIL religionis causa peregrinationem Gargani suscepit.

V. 378 *Et dux etc.* — Otho III Imperator, peregrinus, nudis pedibus antrum michaelianum invisit, an. Chr. MII: hac illum poena multavit S. Romualdus propter caedem Romae factam Crescentii Senatoris.

V. 383 *Tu quoque etc.* — Peregrinatio S. Francisci Assis. an. Chr. MCC, qui in aditu speluncae insculpsit signum T: Seraphim qui stigmata ei impressit pie creditur Michael, in cuius honorem ieiunium quadraginta dierum in monte Alverniae tunc agebat.

V. 391 *At subiisse etc.* — S. Franciscus specum Gargani non intravit, se indignum ad id reputans, sed in aditu reliquit signum T.

V. 393 *Quale videt etc.* — Ezechiel IX, v. 4: Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem et signa *Tau* super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio eius. V. 6: Super quem videritis *Tau*, ne occidatis.

V. 400 *Sed tremitu etc.* — Ingens terraemotus an. MCCLVI, quo Sipontum ruit, unde rex Manfredius novam urbem aedificat, nomine, ut nunc, Manfredonia.

V. 415 . . . . *Iosue monstratas etc.* — Iosue Cap. V, v. 13. Cum autem esset Iosue in agro urbis Iericho.... vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, et ait: Noster es, aut adversariorum? qui respondit: Nequaquam; sed sum Princeps exercitus Domini, et nunc venio.

V. 423 *Christiadas acies etc.* — Heraclius Imperator, rege Persarum Chosroa devicto, Crucem Domini Ierosolymam deportavit: hinc festum exaltationis S. Crucis die XIV septembris. Vid. Martyr. rom.

V. 426 *Sic, Gargane, etc.* — Heraclius Imperator, S. Michaeli ex animo addictissimus, post relatam victoriam, statuam marmoream templo Gargani excudendam curaverat; sed, eborta tempestate, navis qua vehebatur fracta est, et eadem statua modo videtur in urbe regni neapolitani, vulgo Barletta. Vide Ragguaglio etc. pag. 61.

V. 427 *Qui pius etc.* — Carolus Magnus eximium in Saxonia praelium cum Vitigindo, pagano principe, commissurus, fertur vidisse S. Michaelem equo insidentem, ac vexillum caeruleum referentem, liliis et auro distinctum. Hostes inter sese arma verterunt, et Carolus Magnus ob reportatam victoriam iussit per omnem imperii sui provinciam festum S. Michaelis celebrari. Vid. Paulum de Bans e societate Iesu. Paedagogia caelestis.

V. 435 *Gallia etc.* — Illustris enim apparitio S. Michaelis evenit in Gallia an. DCCIX sub Episcopo S. Autheberto. Vid. Marangoni, pag. 165, e Ragguaglio etc. pag. 31. Vide Gallia Christiana T. V: Acta Sanctorum mensis iunii T. III, pag. 603, 604, etc. et Girault de S. Targeau, T. 2, p. 683.

V. 437 *Bellica gens etc.* — Bella in Turcas ad redimendum Christi sepulcrum.

V. 443 *Te tremat etc.* — Victoria de Antichristo a S. Michaele in fine mundi referenda.

V. 456 . . . . *subeunt mox templum etc.* — Vide Pontif. romanum.

V. 461 *Quandoquidem etc.* — Gen. XXVIII, 10 etc.

V. 486 *Exurgat Deus etc.* — Translatio metrica psalmi 67, qui canitur post peractam dedicationem, quique respicit triumphos ab Ecclesia de cunctis hostibus reportandos.

DANIELEIDOS

LIBRI III

DANIELEIDOS

LIBER PRIMVS

ARGVMENTVM

Describitur Babylon, ubi Hebraei iamdiu captivi detinebantur. Gamaliel legis sacerdos eos solatur. At maius levamen et decus est Daniel, qui vel a puero industri consilio Susannae innocentiam patefecerat. Balthassar rex iocis et voluptatibus indulget, licet exercitus Medorum et Persarum ad Babylonem obsidendam iam se paret. Enarratur causa belli, idest venatio Balthassaris regis usque ad montes Mediae. Occisis gregibus regis Medorum, pugna exurgit inter Medos et Chaldaeos, qui fugam arripiunt. Darius Medorum rex copiis praeficit Cyrum, ex sorore nepotem, et regem Persarum. Balthassar foedus init cum Croeso, Lydiae rege, qui exercitui praeficitur. Hinc Gobrias et Gadatas, assyrii duces, ad castra inimica pergunt, Balthassare relicto. Cyrus, devicto Croeso, Babylonem obsidet. Daniel, Hebraeis exterritis, visum quatuor animalium narrat ac interpretatur. Legati pro pace a Cyro missi reiiciuntur. Interim festus dies annuus agitur Babylone, et Balthassar, fidens munitis turribus et muris, cenam mille regni principibus comparat. Temulentus iubet afferri vasa templi Solymorum. Deus iratus mittit de caelo Angelum Hirim, et manus apparet et scribit in pariete arcanas notas. Harioli arcessiti nequeunt eas regi evolvere. Regina Nitocri aulam ingressa, suadet appellare Danielem, qui rem omnem aperit. Noctu Cyrus, detorto in ductibus Euphrate flumine, urbem ingreditur. Gadatas interficit Balthassarem. Supervenit Cyrus, quem precatur Malassar, regius oeconomus, ut sibi vitam indulgeat, et monstrat thesauros Balthassaris. Cyrus imperat, iam rege perempto, a cladibus abstinere.

Isacidum Vatem, Solymis qui iunior exul
It Babylona, vices populorum et somnia pandit,
Ac prece sollicita captivum solvit Iudam,
Certaque virginei praemonstrat tempora partus,
E caelo terris regnum immortale daturi,

Carminibus dicam. Vos, o spectata iuventus,
Quos sibi religio secretos educat aris,
Pignora cara gregis, Pastorem audite canentem.
Quae virtus, aevi quae sit sapientia vestri,
Discite, quae pietas, qui casti pectoris ardor,
Quae posthac maneant integram praemia vitam.
Spiritus alme, tuo mentes qui lumine lustras,
Quo duce mira videt Daniel aperitque futura,
Quoque afflante datur puero prudentia maior;
Annue, nam fallax non me modo fabula ludit,
Docta licet, versatque animum: Daniele magistro,
Vera loquor, magnique Dei portenta retexo.
Tu quoque, magne Pater, divini Pastor ovilis,
Accipe quod tenui condit velamine musa,
Quodque dolor promit; dura nam compede vincti
Stringimur, et septem iam nunc labentibus annis
Heu miseri! superos pacem veniamque precamur.
Auspice te, tamen affulget spes vincula rumpi,
Libertate frui tandem et gestire triumpho.
Urbs Asiae regina fuit, Babylona vetustas
Dixit, et eoas late est dominata per oras;
Cusiades primum Euphratis prope litora magni
Condidit, immani fuerat qui corpore, silvis
Assuetus validisque feras agitare sagittis.
Quae celsa ad caelum insano se tollere nisu
Ausa Babel turris, fama est, ea nomina fecit.
Extruit ingentes regina Semiramis arces.
Grandia quadrata decurrunt moenia fronte,
Moenia quae senos capiunt simul ordine currus:
Mirum opus! et centum postes ex aere rigentes,
Et plateae, rectaeque viae, quae flumen adusque
Inter se averso respondent tramite sectae:

Hinc atque inde pari populi sunt ordine sedes.
Dura silex hic, caementumque hic structile surgit
Circum ingens vallum: Euphrates interfluit urbem;
Aggeribus cohibentur aquae, sed ductibus aedes
Exuperant summas, viridariaque addita spargunt.
Planities circum protenditur aequore vasto
Roscida ubique, nitens, viridanti fertilis umbra:
Nam tumidus certis succrescit mensibus amnis,
Et siccos pingui campos fecundat arena.
Hinc sesama et spissis flavescunt messibus arva,
Hinc et paniculis nutante cacumine fruges,
Et gravidae passim segetes, et brachia palmae
Protendunt umbrosa et coniferae cyparissi.

At non hae rerum species solantur Iudam,
Sedibus avulsum caris et tempore longo
Moerentem assyrioque agitantem litore vitam.
Mente sedet natale solum, Iordanis imago
Occursat memorique fluentes gurgite lymphae.
Vos, Ephrem colles, Libani vos culmina cedris
Consita odoratis, vos et iuga sacra Sionis,
Carmeli, Ierichoque rosis fragrantia late,
Nulla dies animis delet, nulla obruit aetas.
Quin patrum laudes senior mirandaque facta
Enarrat gnatis; intentis auribus astant,
Oppidaque et patrias animis oculisque sequuntur,
Quas ille in molli describit pulvere, sedes:
Et quae Iessides praesaga mente canebat,
Euphratis pulsata sonant et litora Tigris.

Sedimus ad fluvios Babylonis, fletibus ora
Rorantes largis, carae dum tecta Sionis
Pectore versamus memori, mutaeque salictis,
Quae plorant mediis desertae in moenibus urbis,

Dependent citharae. Qui nos ex litore quondam
Abstulerant patrio, quaerentes carmina nobis
Illudunt: Vestro de more heus dicite cantus.
Quomodo sed nostris sacrum cantabimus hymnum
Finibus extorres? Si quando oblivio mentes
Surrepat Solymorum, arescat lingua, manusque
Torpeat: ah! tu solus amor, tu sola voluptas,
Gentis idumeae vindex Deus. Effera dixit
— Perdite et aggestis Solymam exaequate ruinis, —
Infelix Babylone sata. Ast ille ipse beatus,
Qui mala quae tribuis iusta tibi lance rependet,
Quique tuos rapiet gnatos saxoque refringet.

Talibus orantes praeclara e stirpe sacerdos
Gamaliel sapiens legum et spectabilis aevo
Demulcet dictis; quamquam moestissimus ipse
Ingemat ac tristi celet sub pectore curam:
O genus electum, o caelo gratissima proles
Magni Isac, num spe cecidistis? fluxit ab omni
Num cito mente Deus, qui terris omnia versat
Providus, et praesens per monstra tuetur Iudam?
Discissum memorate fretum, memorate tyrannum
Absortum, una omnes pharios, currusque equitesque
Fluctibus offusos et tempestatibus actos;
Assyrii et regis, gladio caelestis alumni,
Protinus absumptas una sub nocte phalanges:
Neve Deo est opus agminibus, vel femina vincit
Imbellis, fractoque Bethulia solvitur hoste.
Ergo, viri, revocate animos, et rebus in arctis
Durate: haec merito patimur; pro crimine poenas
Exolvisse iuvet. Longo iam tempore vates
Helciades nobis haec eventura canebat:
Auribus at populus surdis incredulus odit

Oppressitque amens furiis infausta docentem.
Evenere. Tamen datur et sperare salutem.
Ipse etiam monuit vates; nec deserit urbis
Et templi cineres, miseri solatus Iacob
Reliquias; sacrum prudens abscondidit ignem
Et sancta et multis fumosam turibus aram.
Namque domos tandem dabitur patriamque reverti,
Votaque ferre Deo; Solymorum e pulvere templa
Excita nam surgent: nec vos haec numina ligno
Condita et argento capiant aut marmore, nec vos
Turba frequens stulte abripiat, quae capta pavore
Insequitur; Iudaeque Deum solum esse colendum
Dicite, et Isacidum leges servate sacrorum.
Haec dicens animis ardet, maiorque videtur
Princeps ipse sibi, dextraque volumina tollit
Vatis Amosiadae: quantis convulsa ruinis,
Conclamat, Babylon! chaldaeae gloria gentis
Regnorumque potens, Sodomae similisque Gomorrhae
Occidit heu! Babylon, nusquam post fata resurget!
Hic ubi deliciae regum mollisque voluptas
Assyrium, nunc pervolitat nigrantibus alis
Noctua, securae latet et spelunca leaenae;
Flebiliter stridunt ululae, tentoria lentus
Non hic figit Arabs, pecudes nec gramina pascunt;
Luctus ubique, pavor, necis et moestissimus horror.
    Sic ille. At Daniel primum moerentis Iudae,
Tempore quo captus Babylonem advenerat urbem,
Et decus et columen fulsit: divina futuri
Nam mens est illi devinctaque gratia regum,
Atque usus rerum atque annis prudentia maior:
Illius et dictis mulier pulcherrima leto
Abripitur certo. Binos nam caeca libido

Extimulat proceres, incestis ignibus urens:
Solem sub medium subeunt viridaria furtim
Protecti arboribus: tutam et nil tale timentem
Tentant, horrendum scelus! At nec mollia verba,
Nec saevae potuere minae: nam prava iubentes
Horret, et integram servat sine crimine vitam.
Ast illi decepti alto clamore sequuntur;
Plebs ruit indignata, torum violasse iugalem
Incusant, sacri rupisse et foedera vincli.
Et iam saxa volant, populi violentia gliscit,
Et frustra in lacrimas gemitusque effunditur insons;
Fit furor, obtrudunt aures, via nulla salutis.
At mulcet Daniel iram, multumque dolentem
Ingenii navus redimit probroque necique.
Fraus patet, et poenam seniores morte rependunt;
Et castae merito sponsae dant lilia nomen.
Talibus it Iudam rumor Danielis in omnem
Et magis increscit: captivos lenit amicis
Ille modis, suadetque suos perferre labores.
At Iacob dum multa dolet, Balthassar in alto
Stat solio, assyriasque tenet moderator habenas,
Praegrandi regno pollens opibusque superbis.
Mille videt diti volitantes flumine puppes,
Quadrigas, arma et celeres in bella phalanges.
Ipse urbe in media regales incolit aedes:
Porticus hic centum niveis suffulta columnis,
Atriaque et longo surgentes ordine cellae
Turresque aerataeque fores atque aurea tecta.
Felix haec inter donis ignobilis oti
Perfruitur, somno iuvat indulgere iocisque
Atque epulas inter dulces et mollia vina
Oblitum populi turpem traducere vitam.

Heu miserum, cui iusta Dei iam iam imminet ira!
Improvisus enim procul urbe exercitus armis
Incipit apparere minantibus; aurea solem
Contra scuta micant galeaeque, hostilia signa
Cernuntur, densas et pulvis fertur ad auras.
Plebs tamen indulget ludis, babylonius et rex
Laeta parat; caecae tanta est fiducia mentis!
Ergo age, et instantis primum quae causa pericli,
Musa, doce, et tantae fuerit quae cladis origo.
Dumosos Asiae montes, asperrima saxa,
Gens operum patiens habitabat, et impigra silvas
Currere venatuque feras urgere solebat.
Pacati mores: non fastus ulla libido,
Nullus opum nec laudis amor: felicior ille
Cui parent pecudes, et pleni iugera campi:
Medeae his soboles, his nomen Perseus indit.
Hinc caput excidii Babylon et semina flammae,
Quae tanta assyriae peperere incendia genti.
Nam rex chaldaeus, lusus cui sola cupido
Corde sedet, satrapum septus comitumque corona,
Haec iuga venaturus adit, currusque canesque
Innumeri subeunt silvosi culmina montis.
Primores inter spectabilis eminet omnes
Impiger Assyrius domitorque insignis equorum:
Est Gobrias dux, est Gadatas, fidusque Malassar,
Et Neregel velox iaculis et Rabsares, ambo
Devicta Solyma tractisque in vincula Hebraeis
Illustres; venantum agmen moderatur Arioch.
Incustoditi viridantia pascua capri
Forte pererrabant; timidi, vix advenit ingens
Turba virum, aufugiunt, raptimque per avia silvae
Discurrunt, rapidis pedibus pavor adiicit alas.

Venantum subito raucos dant cornua cantus,
Praecipitesque ruunt; crebrae, seges hirta, sagittae
Ecce volant; passim pecudes sternuntur agrestes.
Fit clamor, celeresque canes latratibus urgent:
Sublimi spectandus equo rex ipse fugaces
Persequitur, stimulosque ardens audacibus addit.
Ut primum insueto Medi nemus omne tumultu
Accipiunt misceri, armentaque saucia cernunt,
Montibus e patriis concurrunt undique; cogit
Buccina saeva viros; confestim hastilia mille
Et calami gladiique micant; ruit excita pubes
In pugnam, totisque furens effunditur arvis.
Spicula promuntur pharetris, fundisque frequentes
Ferratae glandes et saxa rotantia nube
Obducunt caelum, ceu crebrae grandinis imber:
Gliscit utrimque furor pugnae, nemus omne remugit.
Fluctibus adversis tumidum sic infremit aequor,
Cum praeceps certat boreas violentus et auster.
Diriguere; fugam pueri timidaeque puellae
Arripiunt, gnatosque premunt ad pectora matres.
At vero Assyrii, non haec ad bella parati
Ignarique viae, variis ambagibus acti
Volvuntur; partim anfractus saltusque profundi
Absorbent, partim iaculis ferroque necati
Sternuntur: trepidus subito tenet omnia luctus.
At natura loci saxis asperrima quando
Dispergit passim turmas, invictus Arioch
Vocibus incassum cedentes increpat altis:
Quo ruitis? quaenam formido pectora torquet?
Rustica nonne manus contra est spernenda? colonos
Imbelles fugitis? quis magna in praelia fortes
Fidere nunc pedibus furor impulit? Agmine denso

Sistite collecti, vim vis coniuncta repellet.
Ille haec: sed mora nulla fugae; ferus instat et urget
Medus, et adversos contendit pellere terra.
Tuque, o rex felix, quem tanta e clade reservat
Et rapit e mediis sonipes pede praepete telis,
Non Gadatas Gobriasque tegunt, non fortis Arioch;
Sic tandem Babylona redis, paucique sequuntur.
Exarsere odiis animi, violataque iura
Ulcisci Medis alta stat mente repostum:
Quique gubernaclum regni tenet, agmina iungit
Ut Persae bello occurrant et foedera pangant.
Imperium est Cyro, quo non dux clarior armis,
Sorte datum; genuit soror hunc carissima regi.
Parte alia pugna fractus Balthassar agresti,
Falcatos currus parat instructasque phalanges,
Atque urbis muros et propugnacula munit:
Sollicitant segnes animos rabiesque pudorque.
Croesus erat lydis felix regnator in oris,
Auro Pactoli pollens et milite multo
Occiduaeque plagis Asiae ripaque Caystri.
Huic satus Astyaga cupiens coniungere dextram
Legatos satrapas mittit, qui foedera pangant.
Munera dant, primosque duces anteire reposcunt
Assyrios Lydosque, recens et ducere bellum.
Cappadoces Caresque Phrygesque in castra vocantur.
Invida sed Gadatae rabies sub pectore gliscit
Et Gobriae, regis sociis fidisque ministris,
Atque haec sese inter vario sermone serebant:
Ergone post tantos ausus, post inclyta facta
Spernimur, externoque duci subdemur inique?
Quid nobis vitae oblitis, quid profuit hostes
Et coniuratas bello superasse catervas?

Quid iuvit nuper magno discrimine regem
Incolumem medias inter servasse pharetras?
Haud ultra: ingratas terras et principis arma
Ingrati fugiamus: adest fortuna; sequamur.
Talibus incensi regem et Babylona relinquunt;
Castra inimica petunt, animos nam livor adurit.
Interea Croesus, confidens grandibus armis
Chaldaeis lydisque, manum conferre parabat.
Ordine stant acies, dextra laevaque frequentes
Instructi pedites pharetris, mediumque quadrigae
Rite tenent hastis hinc inde immitibus hirtae,
Quae rapidis raptantur equis, atque agmina cursu
Scindentes late sternunt, ceu gramina falces.
Pone equitum turmae sistunt. Iam bellica signa
Tolluntur, diro clangunt iam cornua cantu.
At contra Cyrus, quamvis haud viribus aequis,
Aggreditur, pugnae impatiens; nec plura moratus,
Quadrupedem medios audax compellit in hostes.
Ille hinnit quassatque comas, clamore secundo
Succedunt Persarum equites atque impete magno
Irrumpunt; caecas pulvis glomeratur in auras.
Emicat hic Neregel nodosam cominus hastam
Intorquens, Cyrumque petit: sed protinus ense
Occupat elato Cyrus, cervice revulsa
Concidit Assyrius iacuitque informis arena.
Interea Medi torquent amenta, volat glans
Ferrea, crebra nimis, qualis sub temporis aestum
Nubibus obductis ingenti murmure grando
Improvisa ruit, pingues et verberat agros:
Sternitur omnis humus iaculis, et pulsa virum vi
Terra tremit, clypeique sonant et cassidis aera.
Quid referam horrendas clades et corpora passim

Strata solo multoque rubentes sanguine campos?
Cappadocum turmae fugiunt phrygiique manipli,
Nec iam ultra Cares audent contendere marte.
Iam Lydi bello fracti cessere, nec ultra
Assyrii sistunt; duro in certamine Croesus
Namque acies liquit, vix atra caede cruentum
Cyrum adventantem vidit, vertitque pudendae
Terga fugae, properans patria se condere Sardi.
Clauditur audita Labinithus caede suorum
Securus Babylone, fores et moenia firmat.
Insequitur victor praeceps ac obsidet urbem.
Attamen Assyrius, licet illi triste minetur
Excidium, genio indulget spe fretus inani:
Nam triplex urbem murorum circulus ambit
Immensam turresque altae vallumque profundum;
Praeterea multas servabant horrea fruges,
Quas simul atque boum pecudumque armenta Malassar
Providus annonae collegerat undique custos.
    Sed contra Abramidae, trepidi ceu saltibus agni,
Pulsatur si forte lupis ululantibus aer,
Conveniunt, patrioque Deum sic ore precantur:
    In te spes omnis, Deus, et fiducia; nullo
Tempore decipiar; tu me, iustissime, serva;
Vota precesque audi; propera, et discrimine tanto
Eripe, namque potes; mihi sis tutissima sedes.
Tu robur, tu perfugium, tua nominis umbra
Me teget: esuriam nunquam aut errore viarum
Abripiar, mihi si fueris tu ductor et auspex:
Nec tectis capiar laqueis, me namque tueris:
Me tibi committo, captet dum spiritus auras,
Servator Deus et generis Pater optime nostri.
Odisti qui delicias sectantur inanes:

Tu spes una, Deus; pietas tua plurima laetam
Dat mentem, videt aerumnas servatque periclis.
Hostibus evadam mediis, securaque plantis,
Te duce, sternetur per apertos semita campos.
Ah! nostri miserere, Deus; sub pectore vulnus
Triste manet, torrentque graves praecordia curae;
Fundimur in lacrimas, et flendo ducimus annos;
Aegrae animo vires imis et poena medullis.
Irrisere hostes miseros, fugere propinqui:
Fictile sic cassum spernunt horrentque cadaver.
Qui me circumstant, iactant convicia, vitamque
Insidiis urgent; at tu spes una salutis,
Magne Deus, totum tibi me committere fas est.
Hostibus eripies, et lux tua clara micabit.
Me, Deus, haud unquam in te confidisse pudebit.
Iniustos pudeat, tenebrisque obvolvat avernus;
Qui iustum spernunt obtrectantque ore superbo,
Mutescant. Quanta offundis dulcedine mentes
Quae te rite colunt: quae sint tua munera, cuncti
Prospexere homines: illos penetralibus aedis
Protegis ipse tuae, ne saeva pericula turbent.
Laus tibi, magne Pater: vultu si conspicis aequo,
Servabor, forti veluti munitus ab arce,
Quandoquidem mea vota libens, Deus, excipis aure.
Diligite, o omnes, Dominum; bona cuncta rependet
Sanctis ipse viris, et plectet iure superbos:
Macti animis estote, Deo confidite, nec spes
Vos fallet, rebus vos et servate secundis.
    Sic proles captiva: novus per pectora cunctis
Tum pavor insinuat; facti quae causa requirunt.
Bethoronites, mordet quem cura suorum,
Praesidium Iudae rebusque levamen in arctis,

Quae didicit monstrante Deo portenta, referre
Festinat. Vatem Hebraei mirantur, et omnes
Circumstant cupidi venientem, quidve colonis
Portendant nova facta, rogant, quidve arma minentur.
Innuit ille manu, cunctisque silentibus inquit:
Quis pavor, aut quid corda movent casusque vicesque
Assyrii regis, regnique miserrima fata?
Truditur en regno regnum, rex rege; sed unus
Rex Deus, aeternum et regnum non deficit unquam.
Audite, o cives, animisque haec figite dicta.
Dum recubo somnoque premor, maris aequore vasto
Quattuor adversos misceri in praelia ventos
Aspicio, quatuorque feras stridentibus undis
Surgere dissimiles habitu: nam prima leaenae
Membra refert, aquilae sed grandes exhibet alas,
Quas ignota manus vellit; tunc ipsa repente
Erigitur plantis, hominisque apparet imago.
Cernitur hinc ursus, cui dentes ordine terno
Crudeles, nullisque fames satiata rapinis.
Ipse stupens visu haerebam, quum tertia pardo
Bellua conspicitur similis, cui magna potestas:
Huic quatuor capita et totidem de more volucrum
Insurgunt dorso pennae. Postrema videndam
Sese offert, aliis praestans tum dispare forma
Tum vi membrorum: ferreo vorat omnia dente
Reliquiasque terit pede: denis cornibus horret
Praecinctum caput: at media inter cornua parvum
Ecce subit cornu, quod trina priora revellit:
Dein huic os oculique hominis miranda loquentis.
    Haec ego mirabar solus; quum turbine flammae
Emicat in medio, niveo spectandus amictu
Vir senior niveisque comis, ceu vellere lanae.

Insedit solio: fluit ignis ab ore loquentis,
Ut rapidus torrens: illi centena ministrant
Agmina caelicolum, centenaque millia parent.
Iudicium stetit, et patuere volumina; cornu
Grandiloquum resonat; crudelis bellua leto
Occidit, aeternoque datur comburier igni.
Quin aliis etiam monstris abrepta potestas,
Abreptae vires numerataque tempora vitae.
Talia dum stupeo, en invectus luce corusca
Labitur aetheriis, hominis quasi filius, oris;
Pennigerae centum circum centumque phalanges.
Ut stetit ante virum longaeva aetate verendum,
Incipit iste: tibi caeli terraeque marisque
Imperium sine fine datum, tibi summa potestas
In populos late, magnumque in saecula nomen.
Dixerat: intonuere poli, tremefactaque tellus
Cardinibus; proni faciem velantibus alis
Caelestes fremitu simul assensere cohortes.
At me cernentem subitus circumstetit horror,
Quidnam visa ferant trepidanti voce reposco.
Panditur arcanum: quatuor nam monstra ferarum
Sunt quatuor terris quae surgent ordine regna;
Atqui postremum regnis magis omnibus unum
Ingens, praevalidum toto dominabitur orbe.
Cornua dena, decem reges, qui deinde sequentur,
Ostendunt; unus sed cunctis fortior et tres
Prosternit reges, et in ipsum mente superba
Invehitur Numen, perturbat et omnia terris;
Sed tandem in tenues victus dilabitur auras.
Post haec imperium, nullo quod corruet aevo,
Egregiis virtute viris sanctisque tributum.
Concidet imperium, simulat quod forma leaenae,

Excipietque ursus; brevior fortuna manebit,
Namque instat pardus; neve huic felicius omen.
Quippe nihil firmum in terris, nisi vivida virtus.
Ergo animos revocate, viri, timor omnis abesto:
Ius servate Dei, neu vos fata aspera regum
Commoveant; genus electum Deus ipse tuetur.
His dictis leniti omnes, curaeque residunt:
Nec tamen Isacidae cessant in vota precesque;
Corde manet dulcis patriae immedicabile vulnus.
Parte alia Medi Persaeque ingentia sistunt
Agmina, et hic Cyrus tendit, Darius et illic.
Summa ducum Cyrus, namque isti firmior aetas,
Consilium et mens et duri sollertia martis.
Ergo oratores, populi regisque misertus,
Audifacem et Marium regalem mittit ad urbem,
Queis nitor eloquii et pacati pectore sensus.
Adveniunt cincti ramis felicis olivae:
Chaldaei veniam exorent violataque noscant
Medorum iura, et terram pax laeta reviset
Ac geminas iunget sociato foedere gentes.
Haec et plura ferunt; sed mens heu! laeva tyranni
Respuit obiectamque fidem aspernatur inique.
Ah miser! extremo licet in discrimine, inanem
Spem fovet agminibus fidens et turribus altis,
Nec luxu torpentem animum timor excitat ullus.
Interea Babylone aderat lux festa; pericli
Immemores ducunt choreas atque annua ponunt
Fercula Chaldaei multoque madentia vino
Corpora proiiciunt somno; pars ordine lychnis
Compositis urbem illustrant, pars cantibus auras
Et laeto resonant plausu: Balthassar et ipse
Imperat, heu laevae quanta est oblivio mentis!

Acciri proceres lautisque accumbere mensis.
Cernere erat pictis cenacula strata tapetis
Ampla nimis; lychni pendent laquearibus aureis,
Marmoreus tremula paries sub luce renidet.
Conveniunt regni proceres, mediusque recumbens
Balthassar thalamo stratus lascivit eburno:
Multa sedet circum pellex comptoque capillo
Purpurea et palla gemmisque proterva refulget.
Interea famulae centum centumque ministri
Cuncta parant statuuntque dapes et pocula fundunt
Multa meri, festis resonant clamoribus aulae;
Sambucaeque tubaeque strepunt citharaeque lyraeque
Pulsatae plectro et blandis symphonia chordis.
Hic vates, numeris regales dulcibus aures
Assuetus mulcere, canit quo numine Nembrot
Eduxit silvis homines, et condidit urbem,
Quam primam terris surgentem opibusque superbam
Reginam laetus rutila sol lampade lustrat,
Et magnum Euphratis tollit super aethera nomen.
Vallum ingens cantu celebrat, munimina turris,
Pensilibus flores hortis delubraque Beli.
Pergama si cecidere, suo se robore firmans
Stat Babylon cingitque novis sua tempora sertis.
Subditur Aegyptus, Tyrii subduntur, et alti
Huic montes Tauri et dives Phoenicia cedit.
Quin etiam Abramidas victos populumque remotis
Exiliis actum et viduatam civibus urbem
Et pueros vidit tractumque in vincula regem.
Sic ait, et pateram spumantem ille impiger hausit.
Fit strepitus; plausus iterant, et pocula libant
Convivae tolluntque deos ad sidera, seu quos
Aere faber, seu quos argento finit et auro

Aut lapide aut ferro aut exciso robore silvae.
Luxuriantem epulis turbam fremituque furentem
Incendit princeps erebi, regemque superbum
Spernere iura Dei dextramque lacessere suadet.
Ille igitur multo iam tum temulentus iaccho
Aurea vasa, Dei quondam decora inclyta templi,
Postea sacrilegis Babylonem abducta rapinis,
Afferri iubet, ac vinis temerata coronat.
Exemplum regis proceres et scorta sequuntur.
Omnipotens, solio caelum qui spectat ab alto,
Et pontum et terras et temperat omnia nutu,
Vix ausu vidit scelerari vasa profano,
Infremuit, magnique exarsit pectoris ira.
Aligerum compellat Hirim, qui dicta facessat:
I Babylona, inquit, regique indicito cladis
Impendens fatum. Daniel intelliget unus,
Virgineus Daniel, Balthassari et horrida pandet.
Fulgure tum citior rapidis Puer aethera pennis
Pervolat ignotus, bacchantemque advenit aulam.
Et subito apparent digiti, mirabile dictu!
Horresco referens, scribentes pariete summo,
Quem procul adversis collustrant lumine lychni.
Obriguit rex, atque obtutu territus haesit.
Contremuere omnes, arcanaque sensa reposcunt,
Terrificis obstructa notis. Satrapaeque magique
Et coniectores omni e regione vocantur;
Qui cursu astrorum humanos praenoscere casus
Posse putant, dirae seu qui cantamina linguae
Exercent seu qui fibras rimantur et exta
Alituum pecudumque. Illis riget hispida mento
Plurima barba: latus strophiis et corpora pullis
Vestibus obducunt, cornutis alta tiaris

Praetexunt capita, incessu vultuque superbi.
Hos ferus obtutu Smerdis supereminet omnes,
Qui dudum obliquae invidiae conceperat ignem,
Cum regi sortes rerum venturaque fata
Volventem audiret Danielem oblataque somno
Prodigia. Ex illo stimulis agitatus amaris,
Immortale odium et nunquam sanabile vulnus
Corde premit. Tum rex Smerdin sociosque molestas
Divinare notas imosque recludere sensus
Impulit. At frustra, nisuque evolvere inani
Arcanum tentant: sensus latet abditus omnes.
Convivis gelidus gliscit pavor, ardor edendi
Diffugit, attoniti cyathos et vina relinquunt.
Nuntius interea reginae monstra ferebat.
Nulla mora est: petit illa aulam, pallentiaque ora
Aspicit et fixos fatali in pariete vultus.
Spem simulat tamen; et, quamvis exterrita, verbis
Lenibus alloquitur tenditque avertere curas.
Qui tibi tantus amor, rex, aut quae tanta cupido
Scire ignota? fugit sapientes littera signis
Scripta novis; tamen hic iudaeo sanguine cretus
Est Daniel, longe sapientior omnibus unus:
Hunc magus, hunc satrapae sollersque veretur haruspex;
Quin tuus ipse pater iuvenem, quem numina tantis
Ornabant donis, regni satrapisque magisque
Praetulerat, vates quum somnia panderet olli:
Haec Daniel, mihi certa fides, arcana recludet.
Sic illa: at Daniel secreta parte seorsum,
Impia vecordis miseratus facta tyranni,
Urgebat caelum votis, precibusque vacabat
Solus, et insontes tollebat ad aethera palmas
Implorans veniam, toties iterataque sanctis

Abramidum promissa viris memorare iuvabat.
Orabatque: Deus Iacob, miserere tuorum;
Digna, fatebor enim, patimur; pro crimine poenas
Solvimus, haud ritus divinaque iussa secuti.
Vatibus indociles sanctis obstruximus aures,
Obliti benefacta, Deus, queis semen Iacob
Incolume eripuit mediis tua dextra periclis.
Haec ego dum recolo, flagrans rubor inficit ora.
Caelestis merito sontes furor ingravat. Urbem
Liquimus eversam, templi decus occidit omne
Exilio miseri Iudae: ludibria gentis
Chaldaeae, crudele iugum, crudelia iura
Perferimus; stringunt serviles vincula palmas.
Omnipotens, averte iram, bonus annue votis
Supplicibus, tandem scelus obliviscere nostrum.
Da dulcem patriam Solymaeque revisere sedes,
Et ritus aramque perennisque ignis honores.
Talibus oranti regis qui iussa ferebant
En adsunt, sequitur vates, et protinus aulam
Ingreditur, quem rex compellat vocibus ultro:
O Daniel, Iudae decus ingens, plurima quando
De te fama refert, mentem tibi numina donant,
Venturasque vices atque abdita pandere rerum:
Tu nostri repetens oblita insomnia patris,
Seras regnorum sortes et fata nepotum
Numinis afflatu pandis populosque vicesque.
Ergo age, quidque ferant insueta edissere signa.
Magnus eris, torquis collum dabit aurea circum,
Tertius et regni princeps fulgebis et ostro.
At Daniel contra: Tibi, rex, tua munera; merces
Nulla mihi; quae scripta legam, sensusque recludam.
Nonne tui memoras felicia regna parentis,

Delicias et opes et fastum divitis aulae?
Haec Deus Assyriis largitus divite dextra.
Ast aspernatur tumida dum mente Tonantem
Ipse tuus genitor, violati Numinis iram
Persensit. Nam mentis inops insignia regni
Proiecit, chlamidemque humeris gemmisque coronam
Distinctam fronte avulsit dumosaque silvae
Antra petit, miser heu! victurus more ferarum.
Pronus humi quae sponte vigent tum gramina carpens,
Arentesque siti fauces compescere lympha
Torrentum suetus, iacuit revolutus arena,
Rore madens caeli aut ferventi torridus aestu.
Interea septem sol circumvolvitur annum
Emensus vicibus: tandem mens alta potentis
Subiicitur, noscitque Deum demissaque adorat.
Redditur hinc solio genitor rursumque corona
Cingitur: et tu, rex, qui nosti talia, mente
Turgidus elata sequeris vestigia patris;
Niteris in caelum vecors, sacrataque summo
Vasa Deo infandae sceleras libamine mensae,
Et pellex satrapaeque profana heu! pocula miscent.
Scribentes exin digiti mirandaque verba
Quae tibi portendant, rex, audi animoque reconde:
Imperii numerata tui sunt tempora, finit
Illa Deus, libra iam nunc appensus et aequa
Deficis; hinc scissum regnum conceditur hosti,
Et Medis Persisque datur. Vix talia fatus,
Purpurea Daniel palla praecingitur, olli
Auratam dat rex torquem gemmisque nitentem.
Noctem sub mediam somno dum sternitur alto
Urbs ignara mali ludove insana iuventus
Pervigil indulget (tanta est fiducia rerum!),

Divertit Cyrus formis et ductibus undam
Euphratis: via fit, sicco vestigia gressu
Obscurae posuere acies ac ipse praeit dux.
Parte alia sollers Darius callida captat
Consilia, industrique urbis certamine limen
Aggreditur: ferit aeratas namque ariete postes
Immani, circum repetitis ictibus omnis
Terra tremit, firmo validae stant robore postes.
Ardentes rapiunt ignes, sulphurque picemque
Commiscent, magnam tollunt incendia flammam,
Ad caelum crepitans immensus volvitur ignis,
In cineres tabulata ruunt, aditusque patescunt
Undique, et irrumpunt raptim Babylona catervae
Medorum, et Persae turres murosque penetrant.
Continuo surgunt cives cantuque tubarum
Arma virosque ciunt, vim vique repellere certant.
Ceu torrens pluviis auctus nivibusque solutis,
Iam tollit cornu, iam cuncta repagula spernit,
Aggeribus donec ruptis bacchatur in agros,
Et pecudes et culta trahit plantasque revellit:
Sic Medi invadunt urbem, nullisque tenentur
Obiicibus, nullaeque valent obsistere vires.
Iam primi cecidere duces; iam caede cruenta
Rabsares et Neregel, quos olim funere iniquos
Viderunt Solymae et sacris gaudere rapinis,
Procubuere; suoque incassum robore fidens
Assyrius, patriae dulcis quando ultima cernit,
Incubuit gladio demens animamque profudit.
Novit ubi captis victorem moenibus hostem
Grassari Babylone, omni iamque urbe potiri
Regales servare domos generosus Arioch
Nititur et lecto tutari milite postes.

Interea multis cinxere palatia Persae
Agminibus, foribusque frequentes omnibus instant.
Obsessi contra lapides e turribus altis
Praegrandes iaculari, perque foramina perque
Murorum rimas densi intorquere sagittas.
Ecce autem Gadatas, cui regia cognita sedes,
Opportuna viris scite loca monstrat et armis.
Nituntur scalis Persae, atque ascendere tecta
Certatim properant; telorum atque improba grando
Saxorum ruit: elatae testudine peltae
Pugnantum capita alta tegunt: perrumpere nil quit
Turbam ascendentem, licet omne cadavera vallum
Obducunt: alii subeunt, iam summa tenentes
Exuperant aedes et fusi limina complent.
Maior ubi strepitus bellantum, occurrit Arioch
Ingentemque edit stragem: penetralia victor
Sed iam miles habet, tota et versatur in aula.
Invidus exultat Gadatas regemque requirit:
Talia sed fidus nequidquam passus Arioch
Occurrit, gressumque armis contendit eunti.
Ille furit tentatque viam sibi sternere ferro.
Concurrunt, pugnaque fores tu victor, Arioch,
Ni Gobrias calamo guttur fixisset acuto,
Occidis et regi vel in ipso funere fidus.
Proditor at Gadatas ipsis penetralibus audax
Insultat: qualis curru lorisque solutis
Acer equus silvis vel aperti gramine campi
Gaudet luxuriatque: et te, Balthassar, adibat.
Amens praecipiti cursu longa atria lustras,
Incassum deposcis opem auxiliumque requiris:
Omnes arripuere fugam; iam milite postes
Incustoditi, deserta cubilia regis.

Diffugis huc illuc miser, atque absconderis alta
Sede domus; flentem te frustra et multa rogantem
Opprimit ille: Dei vindex te conficit ensis.
Occumbis, nullae inferiae nullaeque sequuntur
Te lacrimae, nulli tumuli redduntur honores.
Disce Dei monitus venerari et sancta vereri!
Ecce autem Cyrus, Gobria comitante, subibat:
Utque recens vidit Labinithi a caede cadaver,
Indoluit; mites illi nam pectore sensus.
At gestit Gobrias, atque invidus excitat iras
Assyriam cupiens ferro deperdere gentem.
Praepositus regis gazae mensaeque Malassar
Obvius occurrit totoque expalluit ore;
Utque necem fugiat sibi cominus impendentem,
Ultro pronus humi Cyrum sic vocibus orat:
Si qua tibi est pietas, miseri si cura remordet,
Per caput ipse tuum sancta et per numina divum
Te precor, hanc animam serva: mihi tradita gaza est
Regia; monstrabo, spoliis potieris opimis.
Ille haec: at cupido victor iam lumine lustrat
Armillas, tripodas perfectaeque artis inaures
Et pictas chlamydes flammanti et murice pallas,
Caelatas auro pateras rubeosque tapetas,
Argento insertos rutilanti luce pyropos,
Sardonichasque et beryllos atque aurea templo
Vasa erepta, nimis chaldaeo infensa tyranno.
Sed tenebris iam dimotis, terramque polumque
Spargebat roseo surgens aurora colore:
Et cum iam Cyrus victor dominetur in urbe,
Viribus Assyrium domitis et rege perempto,
Indulgens animo letalibus abstinet armis,
Securosque iubet vitam traducere cives.

ADNOTATIONES

V. 25 *Urbs Asiae regina fuit etc.* — Plinius Lib. VI, Cap. XXX. Cantù Storia Univ. Lib. II, Cap IV, Isaias Cap. XIX.

V. 27 *Cusiades primum Euphratis etc.* — nempe Nembrot, filius Cus.

V. 32 *Extruit ingentes etc.* — Semiramis, regina Assyriorum, Nini uxor, diu regnavit, et Babylonem muro e cocto latere et bitumine circumdedit.

V. 45 *Nam tumidus certis etc.* — Succrescit Euphrates, ut Nilus certis temporibus increscit.

V. 47 *Hinc sesama et spissis etc.* — Vulgo *il sesamo* et *il panico.*

V. 66 *Sedimus ad fluvios etc.* — Psalm. CXXXVI: Super flumina Babylonis etc.

V. 100 *Helciades nobis etc.* — Ieremias, filius Helciae.

V. 108 *Evenere. Tamen datur etc.* — Rohrbacher, Storia Univers. della Chiesa. Milano 1844. Vol. III, Lib. XVIII.

V. 114 *Dicite, Isacidum leges etc.* — Baruch Cap. VI. Exemplar epistolae, quam misit Ieremias, scribente Baruch, ad captivos.

V. 117 *Vatis Amosiadae: quantis etc.* — Isaias, filius Amos. Vide Cap. XIII, 3 et seqq.

V. 132 . . . *mulier pulcherrima leto etc.* — Susanna. Daniel Cap. XIII.

V. 149 *Et castae merito sponsae dant etc.* — Calmet XIII. Susanna vox sonat lilium.

V. 175 *Dumosos Asiae montes etc.* — Rohrbacher (loc. cit.): Xenophon ait, Medos Persasque inter ipsorum montes habitasse animo laetos, quum Assyriae rex eos venatione perturbavit: hinc fons et causa belli, ac tandem excidii Babylonis, et finis imperii Assyriorum.

V. 181 *Medeae his soboles etc.* — Ferunt Medos a Medea, et Persas a Perseo nomen habuisse.

V. 191 *Et Neregel velox iaculis etc.* — Hos memorat Ieremias Cap. XXXIX, 3, expugnatores Ierusalem.

V. 239 *Quique gubernaclum etc.* — Dictus apud Danielem Darius, Cyaxares apud Xenophontem, qui et Astyages apud alios.

V. 241 *Imperium est Cyro etc.* — Filio Cambysis et Mandanae medae.

V. 256 *Et Gobriae, regis etc.* — Rohrbacher (loc. cit. pag. 44); Summa imperii Croeso committitur, quam ob rem Gadatas et Gobrias indignantur, ac Cyri militibus

sese adiungunt (Id. ib. pag. 54): Croesus viginti et quatuor centena millia militum habebat: Cyrus vero numerum dimidio minorem.

V. 271 . . . ***mediumque quadrigae etc.*** — Currus qui dicebantur ***falcati.***

V. 315 ***In te spes omnis etc.*** — Psal. XXX.

V. 356 ***Bethoronites etc.*** — Hoc nomine appellat poeta Danielem, quia ortum Bethoron superiore ex tribu Iudae. Cornel. a Lapide in Daniel.

V. 368 ***Dum recubo somnoque etc.*** — Daniel Cap. VIII.

V. 371 . . . ***nam prima leaenae etc.*** Imperium Chaldaeorum. Alae aquilae innuunt celeritatem qua Nabuchodonosor imperium ampliavit. Sub iisdem signis significatur ille rex ab Isaia, Ieremia et Ezechiele.

V. 375 ***Cernitur hinc ursus etc.*** — Imperium Persarum, quorum leges crudeles, ut ait Xenophon. Tres vero ordines dentium indicant tria regna, scilicet Chaldaeorum, Medorum et Persarum, quae in unum coaluerunt.

V. 377 . . . ***quum tertia pardo etc.*** — Fera magnae velocitatis, quae significat Alexandrum Magnum. Quatuor capita portendunt imperium Graecorum, quod in quatuor Alexandri duces post eius obitum divisum est.

V. 380 . . . ***postrema videndam etc.*** — Imperium Romanorum, quod omnium maius fuit. Nomen belluae non exprimitur ex eo quod Romani variis regiminis formis usi sunt, scilicet regno, republica, imperio.

V. 383 . . . ***denis cornibus etc.*** — Significantur decem Romanorum reges, ut dicitur v. 24. cap. VII iam citati prophetiae Daniel. Scriptores ecclesiastici, ut notat S. Hieronymus, docuerunt hos reges esse surrecturos in finem mundi, quorum undecimus exibit, qui vincet tres reges, quo significatur Antichristus, qui ex S. Gregorio homo erit, non diabolus, et levabit se super omne quod dicitur Deus, iuxta Paulum Apostolum.

V. 477 ***Subditur Aegyptus etc.*** — Muller Stor. Univ. Lib. II.

V. 499 ***Aligerum compellat Hirim etc.*** — Daniel Cap. IV, 10. Septuaginta chaldaicam vocem Hir interpretantur Angelum. S. Hieronymus ait, ex vocabulo Hir, latine Vigilans, nomen Iridis factum, quae mittebatur ad ferenda deorum iussa.

V. 502 ***Virgineus Daniel etc.*** — Danielem interpretantur, Deus meus iudex, sive iudicium Dei.

V. 531 ***Nuntius interea reginae etc.*** — Haec est sapiens Nitocri, ut videre est apud Herodotum.

V. 605 ***Imperii numerata tui etc.*** — Mane, Thecel, Phares.

V. 612 . . . ***ludove insana iuventus etc.*** — Cantù, Stor. Univ. Lib. III, Cap. II.

V. 651 ***Ecce autem Gadatas etc.*** — Xenophon dicit, Balthassarem interfectum fuisse a Gadata et a Gobria, iam regis amicis. Martini in Dan. Cap. V, 30 in nota.

V. 684 ***Ecce autem Cyrus etc.*** — A Lapide Com. in Esdram Cap. I, 1: ***Licet Darius Medus Cyri avunculus dicatur, capta Babylone, successisse in eius regnum, Dan. Cap. V, 31; tamen Darius utpote senex totum regimen concessit nepoti suo Cyro, iuveni animoso, ac eodem anno vita functus, eidem totum cessit imperium. Quare Cyrus eodem anno primo monarchiae suae, qui fuit septuagesimus et ultimus captivitatis Iudaeorum Babylone, inde eosdem transtulit.*** Hinc poeta, ut legibus epopeae pareret, dedit Cyro etiam ea quae ex ipsis sacris Litteris Dario erant tribuenda.

V. 685 ***Utque recens vidit Labinithi etc.*** — Hoc nomine Herodotus appellat Balthassarem, qui et Nabonides dicitur. Cantù, Stor. Univ. Lib. III, Cap. I.

V. 689 ***Praepositus regis gazae etc.*** — Malassarem seu Malazzarem interpretantur oeconomum sive architriclinum. Calmet.

DANIELEIDOS

LIBER SECVNDVS

ARGVMENTVM

Cyrus per regia palatia discurrens miratur opes et praecipua Chaldaeorum facta parietibus et tapetis affabre expressa. Malassar, qui comes it Cyro, commendat ei iuvenes hebraeos, quos ipse minister in aula nutriverat, ac portentum fornacis Babylonis enarrat. Deinde Cyrus cernens arcanas notas, quas iam Daniel interpretatus fuerat, illum arcessit. Interim hic secreto, ut Iudaei a captivitate solverentur, Deum precabatur. Smerdis, vix novit regem Danieli et Iudae favere, cum satrapis magisque Cyrum adit, et Hebraeos ac Danielem obtrectat. Qui quum interim advenisset, ille abiit. Cyrus autem sciscitatur alia facta, quae captivitatem Danielis et somnia Nabuchodonosor regis ab ipso enarrata respiciunt. Hinc Daniel visa de statua ac de arbore commemerat. Quum vero a Cyro in magno honore haberetur, illi commendat captivos cives suos, precaturque ut Solymis et templo Dei restituantur. Satrapes invidi concilium ineunt, et fraudes nectunt ut Danielem perdant. Hic inclusus conclavi suo, ad Solymorum templum conversus, ter in die orat Deum. Deprehensus ab hostibus, apud regem accusatur, qui aegro quidem animo ipsum in foveam leonum deiicit. Deus mittit Angelum ad speluncam, qui Danielem tuetur servatque incolumem. Rex eripit eum ab antro, quo deiecti accusatores illico a feris interimuntur. A Cyro edicitur, cuique licere Deum Danielis colere. Ipse vero Dániel pristinis honoribus redditus, publicis operibus inclarescit, ac magnum sepulcrum Ecbathanae persis regibus condit, in quo et ipse sepelietur.

Postquam sceptra tenet Chaldaeis Persa subactis,
Millenisque ruit regnum quod floruit annis,
Assyria victor princeps versatur in aula.
Iam fragor armorum steterat, fractasque labore
Laxabant vires homines et corpora somno:

Nec tamen interea placidae dat membra quieti
Cyrus, at impatiens lustrat regalia tecta,
Et comes it lateri fidissimus usque Malassar:
Multa super bello, super et Balthassàre multa,
Atque adeo Abramidum quae sit fortuna requirit.
Interea assyrios pendentes ordine fastos
Parietibus videt et textis aulaea figuris,
Quas tyria variavit acu, miraque colorum
Arte manus sollers componens stamina pinxit.
Hic primum aeriae cernit tentamina turris
Surgere: sed coeptis insanos sistere cogit
Vindicis ìra Dei. Coit hinc, duce et auspice Nembrot,
Turba virum linguae unius, molitur et urbem,
Qua prior errantes homines et degere campis
Suetos murorum certa statione coegit:
Illam dixerunt memores Babylona minores.
Cusiades ferus aspicitur, villosa leonis
Tergum operit pellis, iaculum dependet et arcus,
Ardentes spirant oculi, prolixaque mento
Barba cadit, fluitantque nigri per colla capilli:
Impiger urget opus, mandatis omnia parent.
Cernitur et Ninive gnati de nomine dicta:
Assurgunt pedibus centenis moenia, turres
Mille et quingentae, Tigrisque interfluit unda.
Aegypto hic pugnata atque Indis praelia; palmae
Innumerae, expressae species regumque ducumque,
Quas inter spectanda Nini prostabat imago:
Ut fama est, lacrimis gemituque Semiramis ipsa
Texuit heu! memorans crudelia fata mariti.
Hinc Ninus, assyrii patris post funera, Beli
Nomine delubrum et dios statuebat honores:
Caeduntur tauri, fumant altaria ture.

Contra opifex finxit navus sublimia caeli
Stellarum spatia, atque errantes cursibus orbes
Immensis, solisque viam, lunamque bicornem
Motibus incertis, infaustaque signa cometas.
Chaldaei noctu vigiles, ubi purior aer,
Rimantur caelum, ac tribuunt sua nomina stellis,
Queis faciem astrorum choreasque atque agmina signant.
Fervida mens citharam videt aurigamque bootis
Et fusum nivibus caprum urentemque leonem
Et pluvios pisces et pleiadas nimbosas.

Vidit ubi fractum curis fessumque labore
Otia quaerentem et gazae vi ditis ovantem
Cyrum, epulis recreatque mero spumante Malassar.
Tum pueros memorans primaevo flore iuventae
Abductos Solyma, queis custos praefuit ipse:
Magnanime o Persarum, inquit, cui gloria maior
Parcere subiectis quam bello subdere gentes
Et regere imperio victas, ne sperne precantèm.
Sunt mihi tres pueri iudaeo semine creti,
Doctrina et virtute pares formaque decori,
Quos mihi iunxit amor: mediis ex ignibus illos
Eripuit Deus ipse, uni cui vota facessunt
Atque unum ritu iudaeae gentis adorant:
Hos, precor, incolumes serva; sic sospitet aequus
Te Deus illorum. Contra rex talibus infit:
Quae memoras rumor nostras incertus ad aures
Attulit: at tantos audire ex ordine casus
Mens avet. Excepitque libens sic ore Malassar:
Quos rex hebraeis pueros abduxerat oris
Iessaea de stirpe, haud servos passus haberi:
Sed mihi ceu dulces natos et pignora regni
Crediderat, lectisque cibis mandarat alendos.

Hinc procerum livor crudescere, et aspera corda
Invisam sobolem insidiis agitare dolisque,
Compositoque novas instando texere fraudes,
Quae dirum ad letum raptent nil tale merentem.
Signum immane ingens qui tunc Babylona regebat
Erigit in medio vallis, cognomine Dura.
Mirum opus ex auro cubitis attollitur alte
Sexaginta: volat terras iam fama per omnes:
Rex iubet interea satrapas populumque vocari,
Constituitque diem solemni more dicandum.
Gens stipata, frequens, spissae quasi litus arenae,
Obtegit immensam vallem collesque propinquos.
Haud procul hinc iussu regis succenditur igne
Ingenti fornax: proiectus corpore toto
Aurea quisque colat simulacra, lyraeque tubaeque
Vix sonitum ediderint lenem et symphonia cantum:
Ni faciat, detur prunis ardentibus esca.
Plebs omnis proceresque una mandata cruenti
Perficiunt ducis, et procumbunt corpore terrae:
Pectora namque pavor quid non mortalia cogit?
Non ita magnanimi iessaeae stirpis alumni:
Quos, pacem vultu simulans imoque furorem
Corde premens, rex his compellat vocibus ultro:
Hebraei iuvenes, cur nam mea spernere iussa
Audetis, signumque, mei quo fulget imago,
Vos tantum abnuitis colere et prosternere vultus?
Haeccine de vobis tandem sperare iubebat
Noster amor, quando captiva e gente reductos
Ipse ego vos epulis mensae regalis alebam?
Si foret hic Daniel, grato qui pectore servat
Munera, quaesisset memor explorare quid opto:
Ergo agite, et iussis nullus parere recuset.

Pergite: nec Iudae Numen iactetis inane:
Numquid vos manibus poterit subducere nostris?
Sic ille: at Misael unus pro fratribus inquit:
Incolumes nos posse Deum vel in igne tueri,
O rex, ne dubita: sin vero adversa voluntas
Affuerit, praedamque sinet nos ignibus uri;
Unum scito Deum, simulacra haud ulla vereri
Nos, patrias leges venerandaque iura priusquam
Linquamus, mortem flammis et obire paratos.
Aestuat his dictis furiato corde tyrannus:
Imperat actutum largis fornacibus ignis
Increscat; stupam, sarmenta picemque ministrant;
Atque oleo prunae pinguique bitumine vires
Concipiunt, crepitantque altis incendia flammis.
Diriguere omnes: densis it fumus ad auras
Vorticibus, solemque nigrantibus obtegit umbris.
Nec mora, rex urget, pueri bracisque tiarisque
Induti, vinctique ardens iaciuntur in aequor.
Protinus at contra chaldaeos flamma ministros
Devorat: insanae tanta est violentia flammae!
Ecce autem obiicitur monstrum, delabitur astris
Praesignis facie iuvenis tunicaque nivali
Candidus, ingrediturque rogum securus, et alas
Leniter exagitans, crudeles temperat aestus.
Tum pueri innocuis figunt vestigia prunis,
Incedunt, captantque auras, quasi flantibus euris,
Et laetum paeana canunt, quo dulcius atque
Altius haud unquam quidquam percepimus aure.
Sensibus et numeris rapimur caelestibus hymni,
Dicere quem nulli fas est: nam solvere laudes
Cuncta Deo invitant quae sunt animalia terris,
Quaeque moventur aquis, caeli quae nubila tranant,

Et tonitru et fulgur tempestatesque sonantes
Omniaque immenso splendent quae lumina caelo.
Attamen haud sortem lamentabantur iniquam,
Immemoresque sui patrii sacra limina templi
Optabant et sancta Deo libamina et aras
Et vates regesque olim felicis Iudae.
Ut videt intactos pueros vocemque canentum
Excipit, attonitus sic rex primoribus inquit:
En tres tradidimus vinctos fornacibus uri,
Et quidnam incolumes cerno vinclisque solutos
Quattuor ignito super aequore discurrentes?
Quorum unus niveis effulgens vestibus, ore
Incessuque patet Deus. O vos pignora, clamat,
Cordi cara meo, vestri inter brachia regis
Cedite. Sic fatus, palmis amplexus utrisque
Hebraeos gremioque premens, centum oscula figit.
Circumfusa viros plebs acribus integra flaminis
Corpora miratur; iuvat et contingere vestes,
Quas ignis nec laesit odor: miracula rerum
Regem tanta movent; lex protinus edita cunctos
Fertur in imperii fines, populique iubentur
Isacidum dare vota Deo nomenque vereri.
    Talia victori memorabat visa Malassar;
Quae tacito Cyrus volvens sub pectore, iurat
Per caput ipse suum servari germen Iacob.
Ecce autem ingressi saevae cenacula noctis,
Ludo et lascivis nimium bacchata cachinnis,
Constratos abacos textis bombyce tapetis,
Desertosque cibos mensis desertaque vina
Mirantur, murisque notas inscriptaque verba,
Quae retegens Daniel cecinit tristissima regi.
Hic subito menti victoris oborta cupido

Compellare virum ac tantos agnoscere casus.
Quaeritur hinc vates; it nuntius ipse Malassar.
Novit ubi Smerdis vati Iudaeque favere
Persarum regem, Gobria duce, cominus astat
Victori, subeunt una satrapaeque magique.
Hos urget livor, stimulisque incendit amaris
Gloria iudaei vatis, cui pandere sensus
Verborum licuit, quos ipsi attingere frustra
Tentarant. Ergo Cyro et victricibus armis
Arsacidum fundunt laudes, sed germen Iacob
Et vatem obliqua invidia verbisque lacessunt.
Vix introgressi, Smerdis, quem pone magistrum
Exemploque ducem proceresque magique sequuntur,
Proiectus terris regem quasi numen adorat:
Dein conceptum ignem dictis ita promit acerbis;
Ne te ne verbis capiant atque arte dolosa
Isacidae, genus infidum, quod fraudibus olim
Mentitisque, ferunt, monstris evasit ab oris
Aegypti, atque inhians fecundis ubere glebis
Pacificos ferro, latronum more, colonos
Expulit excidioque ruit, sceptrumque superbum
Ereptis opibus spoliisque extorsit opimis.
Sed postquam vi Chaldaeos contendere contra
Sunt ausi, fracti bello, patriaque relicta,
Servilem extorres coguntur ducere vitam.
Eminet hos inter iuvenis, quo doctior alter
Non fuit aut versare dolos aut fingere monstra.
Hunc Daniel dixere sui; Balthassar at illum
Ipse suo quondam decoravit nomine: pestem
Hanc fuge... Sed Daniel, comitante Malassare, Cyro
Promptus adest. Rigido torpescunt gutture voces
Smerdi. Ceu roseo quum sol exurgit ab ortu,

Pallescunt ignes caelo fugiuntque minores:
Sic subito regem Smerdis satrapaeque magique,
Paret ubi vates, turbata mente relinquunt.
Huic tegmen capiti, cidarim quod nomine Persae
Dixerunt, bracae stringebant crura femurque,
Punicea ad pectus nodo collecta fluebant
Pallia post humeros: roseo nil pulcrius ore.
At vero Cyrus venientem his occupat ultro:
Tu ne ille es Daniel regali sanguine cretus,
Quem donis augent superi, cui Numen ab alto
Insidet? hic rumor nostras pervenit ad aures.
Mens avet Abramidum casus et somnia regis
Noscere, captivum qui te Babylona trahebat.
Tum Persae casus heros sic ordine pandit.
    Iam sol purpureum ter circumduxerat orbem,
Et sceptrum Solymis rex Ioachimus habebat;
Quum subito Chaldaeus adest, atque obsidet urbem
Agminibus magnis. Extemplo cingimur armis,
In pugnam ruimus; sed quidnam posset Iudas?
Vincimur: occlusis muris dominatur ubique
Dira fames nulloque metit discrimine vulgus.
Quid referam horrendos casus miserandaque fata!
Obvia fit regi mulier lacrimisque profatur:
Affer opem miserae, siquidem spe fallor inani:
Ipsa meum, fateor, dimotum ex ubere natum.
Externata fame, materno dente voravi,
Dimidiumque dedi sociae; post illa daturam
Pollicitata suum, fallax modo foedera rumpit,
Et natum praebere negat. Compelle negantem,
Eripe me miseram leto. Rex talibus horret,
Et frendens vestes scindit; tunc pectora circum
Apparet lorica rigentibus aspera villis:

Fit planctus gemitusque et femineum lamentum.
Est Solymae turris quae celsa exurgit, et agros
Prospectu longo videt undique circumstantes.
Ascendit rex ipse: frequens compleverat hostis
Omne solum; ingentes currus ingentiaque arma.
Ingemit, et quando superest via nulla salutis,
Nos bellum finire iubet, mandataque pacis
Implorat supplex et dextram tendit inermem.
Ex illo Assyriis vectigal turpe quotannis
Solvimus: at cives, pactum crudele perosi,
Indecores se ferre negant et foedera rumpunt,
Ignari quae iam miseros fortuna manebat.
Namque iterum ruit Assyrius, Solymamque rebellem
Invadit, ferroque furens exscindit et igni:
Undique disiectae sedes convulsaque tecta.
Rex ubi conspexit mediis penetralibus hostem,
Quum sibi praestructi effugii spes nulla daretur,
Tela capit demens inimicaque fertur in arma.
At frustra: nam missilibus circum undique septus
Concidit, et nudum deserto litore corpus
Proiectum ignotumque, avido discerpitur ungue
Accipitrum: qualis depastus dente ferarum
In silvis onager putrescit, turpe cadaver.
Olli nec subit auspiciis melioribus alter
Isacidum princeps, qui vectigalia regi
Chaldaeo dat: sed rursum pertaesus Iudas
Servitii (licet Anathides non creditus unquam;
Ora Dei iussu solvens, graviora moneret)
Abrumpit fas omne, suo male robore fidus.
Nam rursum Assyrius furiatis advenit armis,
Omnia permiscet luctu cumulatque ruinis.
Rex videt heu! cunctos mactari ante ora parentis

Gnatos: tum geminos crudeli vulnere patri
Exscindunt oculos: ferroque oneratus, et imae
Ludibrium plebis, turpi Babylona triumpho
Pertrahitur. Sacri cecinere haec omnia vates.
Quis fando referat caedes incendiaque alta
Vastatumque igni templum, quod struxerat olim
Regifico Salomon luxu, direptaque gazae
Munera et isacidum direpta palatia regum?
Auri argentique aufertur pretiosa supellex
E templo, magni tripodes et vasa lebetesque,
Et ritu infando haec Belo temerata dicantur.
Sed meritas luit et poenas captivus Iacob.
Cogitur Assyriis Solymam victoribus urbem
Linquere, et illacrimans patriis decedere terris.
Obses ego ducor, plures ducuntur ephebi,
Sanguine prognati regum, delecta iuventus.
Non tamen abiecto ut servi vestimur amictu,
Nec sola potamur aqua, vilique polenta
Pascimur, addicti glebis operumque labori:
Quin et chaldaeam linguam moresque docemur,
Doctrinas navi ingenuas et discimus artes:
Ditibus induimur tunicis, et lecta ministri
Apponunt nobis regalis fercula mensae.
Nos patriae legum memores ritumque parentum
Servare assueti, frugales vescimur herbas
Assidue, puraque sitim restinguimus unda.
Non tamen aut lento languescunt corpora tabo,
Neve genas macies aut tristis pallor inumbrat:
Sic caelo placitum: firmo quin robore nobis
Membra vigent, roseo pubescunt ora colore.
Interea trepidum terrent insomnia regem,
Quae tamen oblito demisit pectore. At illa

Neve magi satrapaeque ulli neve ullus haruspex
In mentem revocare valent; cantamina Beli
Nil prosunt, et nil execta volucribus exta,
Nec qui cappadoces adeunt delubra pyreti.
Hi mitris capita alta tegunt, vittisque solutis,
Virgarum stringunt fasces, numenque per horam
Sollicitant, nigro inscribunt ter pulvere signa,
Ter delent inscripta. Hinc magna exaestuat ira
Chaldaeus, cunctosque iubet succumbere leto.
Dux olli fidus lectaeque cohortis Arioch
Iussum aperit ferale mihi, ac prohibere furorem
Hortatur lacrimans; mites nam corde fovebat
Ille animos, saevis quamquam dux acer in armis.
Obrigui his dictis; tantamque avertere caedem
Exoptans, mea vota Deo gemitusque ferebam
Evigilans noctu: dein quum defessa quieti
Membra darem, surgente die, mihi cominus ecce
Regis idem obiicitur visum atque evolvitur omne.
Protinus ad regem feror, atque iniusta furentem
Molliter his placo dictis, et visa recludo:
    Magnanime o princeps, quod quaeris, nullus haruspex,
Coniector nullus posset tibi dicere monstrum:
Unus enim Deus in caelis, ventura quod aetas
Proferet, evolvit. Thalamo dum corpore stratus
Eventus agitas varios, tecumque volutas
Quis rerum adveniet saeclis volventibus ordo,
Et sero tandem victus das membra sopori;
Ecce tibi ante oculos signum ingens; huic caput auro,
Argento sinus, aere femur, ferroque rigescunt
Crura, pedes mixta ferri compage lutique
Consistunt. Subito, nullo cogente, lapillus,
Montibus excisus, praeceps agitur decursu,

Impingit summis signum mirabile plantis,
Percussamque solo cernis procumbere molem.
Fit subito pulvis rapidas turbatus in auras.
Sed lapis in vastum protenditur undique montem,
Terramque exaequans, aeternum mole sua stat.
Haec tibi, rex, visa in somnis; nunc visa docebo.
Te caput ex auro simulat, fortissime regum,
Qui tantis opibus tanta et ditione potitus,
Assyrios regis imperio populosque ducesque.
Argento innuitur regnum quod pone sequetur
Deterius; sed deinde aliud felicibus ausis
Bellorum terra prorsus dominabitur omni;
Ac tandem quartum, ferri quod fingit imago,
Omnia subiiciet, nam subiicit omnia ferrum.
Post hanc regnorum seriem, post maxima regum
Facta, aderit totum sceptro qui temperet orbem,
Paciferaque regat terras ditione subactas.
Haec tibi tolle memor, certaque haec mente reconde.
Attonitus dictis, mihi rex vel tura dedisset:
At non haec nostrae, non haec sapientia mentis,
Inclamo; Deus, ipse Deus portendere facta
Tanta dedit; laus huic, huic uni munera dentur.
Chaldaeus favet, Isacidum magnumque fatetur
Esse Deum, meque immeritum tamen auget honore.
Tres socios commendo; etenim non me mea tangunt.
Annuit; et populis Misael aliique regendis
Praefecti dant iura, tenent me limina regis.
Prospera cuncta cadunt illi, victorque tropaeis
Addidit et Syriam ditem Phoeniciaque arva
Atque Arabum et Nili quae fertilis abluit unda.
Gliscit amor laudum tumidae et vesania mentis,
Sed premit elatum Omnipotens et pulvere sternit.

Namque aliud monstrum obiicitur, quum tertius olli
Annus it imperii: mihi rex sic somnia narrat.
Nox erat, atque alta laxabam membra quiete;
Ingentem quercum firma radice videbam,
Quae patulis totum ramis praetexerat orbem:
Fecundi pendent fructus; caelique volucres
Turmatim magna volitantes arbore sistunt.
Talia mirabar stupidus, quum reddita vox est:
Eia agite, immane hoc ferro succidite robur.
Tunc manus apparet, validisque bipennibus arbos
Caeditur icta, trahitque ingentem mole ruinam.
Arescunt folia, effugiunt animalia, fructus
Tabe cadunt putri: decisis undique ramis,
Virgultum manet, et radix tellure sub ima
Insistit. Nullus, licet arte peritus, haruspex
Augurium novit; tibi sed Deus insidet ipse,
Te docet: ergo velint, Daniel, quid somnia, pande.
Haec rex chaldaeus trepidanti pectore narrat:
Auribus intentis asto, tacitusque per horam
Haec eadem volvebam mente, Deumque precabar;
Namque animus refugit quaerenti dira referre.
Rex instat, tandemque invitus rem ordine pando:
Princeps magne, tuos veniant horrentia in hostes
Haec quae vaticinor. Nam procerissima caelo
Quae caput attollit quercus te, maxime regum,
Signat, qui mundi torques moderator habenas.
At Deus omnipotens reges dominatur in ipsos.
Experiere: opibus tu namque inflatus et armis,
Erigeris mente ac terreni numinis instar
Cultum ambis: at cum feriet vox caelitus aures
Improvisa tuas, discissis vestibus amens
Abiicies sceptrum, et nemus incomitatus adibis;

Atque ibi more ferae terrae silvestribus herbis
Uteris, caelique offusus rore madebis.
Ergo consilio ne, rex, parere recusa,
Quod tibi promo libens: ex hoc tua dextera egenis
Donet larga stipem, ac facilis tibi forte remittet
Omne nefas Deus omnipotens veniamque rependet.
Sic ego: sed dictis gelidos exterritus artus
Ille silet. Senos bis luna peregerat orbes
(Namque Deus scelerum patiens sua tela retardat),
Quum gradiens ditem regnator forte per aulam,
Numquid non alta haec Babylon, inclamat, et ingens
Gloria Chaldaeae non haec mea regna? quis unquam,
Quis vidit maiora? Triplex hic murus, et horti
Fornicibus miri substratis, magnaque Beli
Delubra immensisque subactus ductibus amnis,
Innumerae turres aurata atque aula... Repente
Vox delapsa polo, necopini fulminis instar,
Insonat, et tristi complet saeva omina signo.
Rex trepidis agitur furiis: iam nulla furentem
Vis cohibere potest, iam vincula nulla morantur.
Silva umbrosa, vetus, nulla violata securi,
Haud procul hinc: patulis animalia saltibus errant
Libera, nec cuiquam fas est turbare sagittis.
Huc miser ille fugit: laeva sibi mente videtur
In tauri speciem versus; quasi bellua reptat:
Crinibus intonsis et nudos sordidus artus
Hic amens bacchatur; aquas hic fluminis haurit
Limosas pronus terris, hic pascitur herba;
Et si forte lacus claris se conspicit undis,
Intremit, et tumidae succrescere cornua fronti
Et bifidos ungues et setis horrida membra
Cernit et ingentem proferri lumina in orbem.

Ignarus veri, cursu sese ipse fatigat,
Turpi commixtus pecori, recubatque sub umbra,
Ac rursum urgetur furiis, perque avia perque
Antra gemit lacrimis et luctisono mugitu:
Quumque polum nox atra humentibus obtegit umbris,
Moerentem attritumque humili et tellure cubantem
Obducunt rami, roris perfundit et humor.
Heu miser! Interea mutantur tempora septem;
Esse Deum noscit tandem et demissus adorat:
Redditur hinc urbi vacuaeque cubilibus aulae.

Tunc ille haud meritum magnis me insignibus ornat,
Principibus satrapis praefert, et murice cingit.
Nec tamen his moveor: carae me tangit Iacob
Dulcis amor sobolis, patriis quae finibus exul
Capta manet Babylone. Ah! rex, si quid mea possunt
Vota, precor, ne triste genus ne despice Iacob:
Atque utinam natale solum montemque Sionis
Visere iam rursum liceat, templique iacentis
Sit nobis tandem fas instaurare ruinas!
Extrema haec Daniel dum fatur, lumina guttis
Irrorat largis: illum excipit aure benigna
Cyrus, et intento dicentem lumine lustrat,
Miraturque virum, cui mens divina sereno
Ore nitet, superoque oculi splendore coruscant.
Tunc ait: O Daniel, animo depelle dolorem:
Nil tibi, nilque tuis damni; quin numine nostro
Forsitan et Solymam dabitur patriamque reverti.
Dixerat: ille duci tanto pro munere grates
Laetus agit, properatque suis haec reddere verba.

Parte alia obliquas satrapum struit invida fraudes
Mens: etenim magno vatem regnator amore
Prosequitur; nam quae non tangit pectora virtus?

Illum principibus praefert; regit omnia nutu
Ille suo, regnique potens moderatur habenas.
Hinc procerum fera corda tument, hinc perdere certant
Insontem ac virtute sua nil tale timentem:
Olli et dexteritas, rara et sollertia rerum,
Incorrupta fides Domino, moresque pudici.
Quid facerent? Multa inter se manus impia versat
Consilia; ingentique aulam petit inde tumultu.
Subnectit fraudes Smerdis mellitaque verba:
Optime rex regum, donent tibi numina vitam
Aeternum: primique duces sanctusque senatus
Concilium statuere; animis sententia quae sit
Accipe: tu deus Assyriis, fortissime regum,
Unus eris, tibi divum uni debentur honores:
Quique aliud quodvis numen venerarier ausit,
Donec terdenos sol cursu expleverit orbes,
Intereat, subitoque feris sit faucibus esca.
Insidiatores infensi, ut piscibus hamus:
His capitur dictis elata mente tyrannus,
Gaudiaque immeriti iam spe praesumit honoris.
Ast Daniel cella inclusus, quae prospicit arcem
Iessaeam, Solymamque urbem ter pronus adorat,
Attollitque manus puras et fervida summo
Vota Deo, funditque imo suspiria corde.
Multum orat, tacitaque arcanum mente volutat,
Iam prope venturum Iudae qui vincula rumpat.
Pectore plura movet; dein talia voce precatur:
O Deus, Isacidas qui lumine conspicis aequo,
Eccur servitio premimur? cur subdimur hosti?
Scilicet heu! scelerum nunc tempus pendere poenas.
O Solyma, o Solyma, o patrii sacra limina templi,
Quis memorans tristem non roret flumine vultum?

Nec Domino laudes, nec regius insonat hymnus,
Neve tubae citharaeve canunt, squalentia late,
Splendida quae fuerant donis, altaria lugent.
Victima nulla cadit, nulli sunt turis odores,
Nec tua cinctus ephod intrat iam templa sacerdos:
Iustam etenim, fateor, culpis incendimus iram,
Incubuitque malum miseris, quo durius unquam
Haud tulit, haud feret ulla dies. Miserere tuorum,
Omnipotens, qui tanta Abrahae promissa dedisti :
Quum Solymis Iesside satus tua templa sacraret,
Te fore propitium iurasti in vota precantum,
Qui procul externo ducunt in litore vitam.

Sic lacrimans orat vates, quando invida turba
Irruit, utque stata plectatur morte reposcit.
Indoluit Cyrus, frustraque avertere caro
Pertentat capiti pestem: nam ferrea lex est
Persarum, neve ipse potest mutare tyrannus.
Ergo gemens multisque humectans fletibus ora:
Quem colis Omnipotens, Daniel, te sospitet, inquit,
Eripiatque feris. Tum dicere plura volentem
Singultus prohibent lacrimaeque per ora volutae.
Anulus his dictis obsignat regius antrum.

Ut primum fovea Daniel occlusus in ima est,
Poplite procumbit flexo, palmasque oculosque
Attollit, tacitoque Deum sub corde precatur.
Tunc Pater omnipotens, toti qui prospicit orbi,
Sollicito insontem iuvenem miseratus amore,
Unum ex Aligeris, qui iam feralia verba
Scripserat assyrio regi, vocat. I citus, inquit,
Fide puer, Babylona pete, imaque lustra ferarum
Ingredere, et carum iuvenem solare iacentem;
Affer opem: nec plura, tibi mea nota voluntas.

Ille alacer niveas subito se librat in alas,
Alternansque humeros caelorum nubila tranat:
Haud secus, e scopulo praedam speculata, repente
Labitur in vallem praeceps regina volucrum.
Succedit foveae, et Danieli cominus astat:
Continuo nox atra fugit, splendoribus antrum
Omne micat, visae rupes horrendaque saxa
Gestire; ipsi etiam mites rictuque benigno,
Ceu dociles catuli, se proiecere leones.
Hic vatem verbis iuvenis compellat amicis
Aetherius: Daniel, caelo gratissima cura,
Ne timeas, custos adsum: me misit ab astris
Ipse Deus: miti tibi bellua sternitur ore
Et lambit plantas humilis. Quod deinde sequetur,
Pectore conde memor: rursus quum livida turba,
Haud unquam satiata malo, te trudet in umbras,
Ipse adero tecum: duce me, per inane volatu
Crinibus arreptus pastor tibi deferet escam.
Ergo Deo bona verba hymnosque canamus ovantes.
  Interea totam princeps moestissimus, aeger
Noctem agit insomnem, dapibus nec vescitur ullis.
Ast ubi nocturnas aurora removerat umbras,
Sollicitus spelaea petit, lacrimisque profusis:
Te ne Deus, clamat, quem supplex Numen adoras,
Eripuit, Daniel, crudeli e fauce leonum?
Rex, vive aeternum, Daniel respondit: alumnum
En Deus Aligerum caelo demittit ab alto,
Occluditque avidas fauces: rabida ora leonum
Non nocuere mihi, quando sum criminis expers.
Ergo ferali Daniel deducitur antro
Incolumis; puero Cyrus tunc brachia collo
Dat circum, primoque insontem reddit honori.

Unum praeponit cunctis: Danielis in hostes
Ira ardens, saevum trudendos mandat in antrum.
Non tetigere solum miseri, lacrimabile dictu!
Cum discerpti artus attritaque dentibus ossa,
Invidiae meritas solverunt sanguine poenas.
Urbs stupet interea magnis perterrita monstris:
Tum iussu regis populos lex fertur ad omnes,
Iudaeaeque Deum gentis data cuique potestas
Et colere, et votis cumulare et turibus aras.
At Daniel iterum regno praeponitur omni,
Iuraque dat populis magno spectandus honore.
Dependent gemmis auroque monilia collo
Splendida, picta chlamys circumdat murice membra,
Anulus et digito fulget; decus addidit ori
Omnipotens; curro vehitur sublimis, et alta
Voce — Caput regi, plebs, inclinate secundo —
Inclamat praeco; et subeunt clangoribus aera
Festivis, laeti circum puerique puellaeque
Exultant, certantque novos conspergere flores.
Iusuper Ecbathanae vult magnam assurgere molem
Cyrus, et ingentis ponit monumenta sepulcri.
Moenia septenos referunt septena colores,
Ordinibus supra positis, ubi condita regum
Corpora persarum recubent post fata: superbis
Fornicibus pendent lychni; ponetur et ipse
Hic Daniel, gremio postquam requiescat Abrami:
Iudaea custos erit hic e gente sacerdos.
Cuncta iuvant plebem, et felicia tempora Cyro
Labuntur, coeptisque Deus favet ipse secundis.

ADNOTATIONES

V. 27 *Cernitur et Ninive* — Genes. Cap. X, 11: De terra illa egressus est Assur, et aedificavit Niniven.

V. 42 *Chaldaei etc.* — Cicero (De divinatione Lib. I, 1.) ait Assyrios primos fuisse astrorum caelique motuum speculatores.

V. 139 *Et vates regesque etc.* — Dan. Cap. IV, 38.

V. 201 . . . *cidarim* — Forma pilei, quo Persae utebantur. Describitur hic Daniel vestibus, quibus indutus cernitur in veteri codice Bibliothecae vaticanae. Huius exemplum quoque refert Cornelius a Lapide, Comm. in Daniel.

V. 212 *Iam sol purpureum etc.* — Nabuchodonosor ter cepit et vastavit Ierusalem: scilicet 1.° anno tertio Ioachim, quum eum cepit, tuncque pariter captus et abductus est Daniel. Sed quum Ioachim Nabuchodonosori se subderet eique tributum promitteret, ipse eum regno restituit, acceptis obsidibus, scilicet Daniele et aliis de semine regio. Verum quum post octo annos Ioachim tributum abnueret, et rebellaret, venit 2.° Nabuchodonosor anno undecimo regni Ioachim, eumque dolo cepit, occidit, et extra urbem insepultum avibus et feris devorandum proiici iussit. Haec est enim sepultura asini, quam ei comminatus fuerat Ieremias Cap. XXII, 19. Tunc Nabuchodonosor, pro Ioachim, filium eius Ioachin sive Iechoniam creavit regem; sed quum hic pariter post tres menses vellet iugum excutere, eum cepit ac abduxit, eiusque loco suffecit patruum eius Sedeciam, qui quum undecim annos regnasset, rebellavit. Quare tunc 3.° rediit Nabuchodonosor, anno regni sui decimo et octavo, atque urbem cepit, templum succendit, Sedeciam excaecavit, omnes Iudaeos abduxit, et totum Iudaeorum regnum evertit. A Lapide, Comm. in Dan. Cap. I.

V. 242 *Namque iterum ruit Assyrius etc.* — Ioseph Flavius (Antiqq. iudaic. Lib. X, Cap. II) loquitur de capta Hierosolyma, et memorat etiam nomina ducum chaldaeorum. Quoad haec nomina vide quoque Ierem. Cap. XXXIX, 3.

V. 276 *Obses ego ducor etc.* — Dan. Cap. I: Daniel ex tribu Iudae stirpis davidicae, anno primo Nabuchodonosoris, quarto Ioachim, ducitur mancipium Babilona. Videtur tunc fuisse aetatis annorum duodecim. Calmet.

V. 292 *Interea trepidum etc.* — Anno secundo Nabuchodonosoris. Daniel Cap. II.

V. 297 *Nec qui cappadoces etc.* — Calmet in Danielem Cap. II. Quidam in Cappadocia magi Pyreti appellabantur, et frequenter templa deorum adibant mane (Strabone teste Lib. XV) oraturi per horam, inter precandum manu tenentes fasciculum virgarum, et caput habentes tectum pileo vel mitra, cuius vittae ad labia usque demissae pendebant. Mos divinandi per virgas in Ezechiele diserte exprimitur. Hodie apud Turcas obtinet etiam divinatio per virgas, quibus pluries lineae tres in arena imprimuntur et delentur.

V. 302 *Chaldaeus, cunctosque iubet etc.* — Daniel rescivit hoc ab Arioch, duce copiarum regis, cui commissum necare magos. Dan. Cap. II, 14.

V. 321 *Ecce tibi ante oculos etc.* — Dan. Cap. II.

V. 357 *Sed premit elatum etc.* — Calmet in Dan. Cap. IV, 1.

V. 358 *Namque aliud monstrum etc.* — Dan. Cap. IV.

V. 497 *Qui procul externo etc.* — III. Reg. Cap. VIII, 48.

V. 569 *Insuper Ecbathanae etc.* — Ioseph Flavius (lib. cit. cap. XII).

DANIELEIDOS

LIBER TERTIVS

ARGVMENTVM

Ieremias lamentatur prope desertam Ierusalem, et exorat Dominum. Preces Ieremiae et preces Danielis Gabriel offert Deo, qui coetum colligit caelestium ante se. Angelus, custos Persarum, ut duret, Gabriel vero ut finem habeat Hebraeorum captivitas, Deum omnipotentem orat. At Satan totis viribus nititur ut fallat omnes, ostentans ritus et magnitudinem templi Beli. Describitur hoc templum et solemnis ad templum caerimonia. Daniel detegit fraudem sacerdotum Beli. Honor Danielis augetur et amor regis erga Hebraeos. Daniel ostendit Cyro Isaiae vaticinium de ipsomet Cyro, et Gamaliel memorat miranda templi Salomonis et ritum dedicationis. Smerdis summis viribus intendit ut Danielem et Hebraeos detrectet. Satanas fallit populum specie magni draconis, quem Daniel interficit. Interea mittitur Michael ad Angelum custodem Persarum, qui ei patefaciat Dei voluntatem de Israele a captivitate solvendo. Daniel quum hoc novit, cito pergit ad suos, quos alloquitur manifestans non solum finem captivitatis, sed etiam visum apud fluvium Tigrim habitum, atque aliud quoque ad portam Ulai de ariete ac capro, pluraque Israeli vaticinatur, praesertim de certo tempore Christi venturi et de mundi fine. Cyrus edicit, Hebraeos posse redire Ierusalem. Clauditur carmen allegoria ad Pium IX, cuius numisma memoratur Danielem praeseferens coram dirupto dracone, versiculo inscripto — Et diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis. —

Nunc quoque te, Solyma infelix, mea musa reviset,
Interrupta tibi lacrimis pia carmina pangens;
Quandoquidem meus et Daniel, moestissimus exul,
Sollicitus multumque dolens te semper amavit.
Quae tibi contingunt tristissima, praescius inquit

Isaias: turres et propugnacula passim
Disiecta, eversoque labantia moenia vallo,
Desertasque vias luctu, templique ruinas,
Quas furor armorum cumularat flammaque vindex.
Neve pii resonant hymni citharaeque tubaeque,
Neve sacer praecinctus ephod dat tura minister.
At species vatis moestissima, cretus Anathoth,
Quem nullae Solymis potuere avertere clades,
Attonitus vultu ac turpatus pulvere crines,
In mediis haeret discissa veste ruinis,
Ingeminans fletus et lamentabile carmen.
    Heu mihi! quae florens opibus populoque frequenti
Iam fuerat, vacuam cerno iam civibus urbem:
Et regina olim, nunc vectigalia solvit
Et deserta sedet, viduae moerentis imago.
Nocte silente, genas lacrimis perfundit amaris;
Nullus adest, nulli miseram solantur amici;
Quin et despiciunt et, vulgi mobilis instar,
Conversis studiis, hostili mente lacessunt.
Servitium crudele tulit miserandus Iudas:
Conficitur curis, mediis in gentibus exul
Errat inops, pavidus; namque oppressere dolentem.
Compita flent Solymis, templi solemnia quando
Nulla vocant, nullusque accedit iam hospes ad aras.
Procubuere fores; luctu gemituque sacerdos
Vitam agitat; virgo nigranti squalet amictu;
Captivi et pueri flentes in vincla trahuntur.
Quantus amaror inest Solymae, quam conterit hostis
Divitiis regnoque potens! Heu tristia facta
Praedixit mores Deus indignatus iniquos!
Omnis ab ore Sion splendor, decus omne recessit;
Ante hostes populi proceres sine viribus ibunt

Devincti, haud secus ac aries cui pascua desunt.
Tristitiae scelerumque dies in corde revolvit
Urbs, memoratque simul felicia tempora quondam:
At subeunt vexantque inimici immaniter aegram,
Irridentque dies festos ritusque verendos.
Culpa ingens Solymae: hinc tantis eversa ruinis,
Hinc spreta, hinc faciem vertit suffusa pudore.
Sordet adusque pedes; nam oblito pectore fatum
Demisit, miseram quod posthac triste maneret:
Ah nimium despecta iacet nullumque levamen!
Tu miserae, Omnipotens, succurre, hostesque retunde:
Namque inimica manus rapuit quod carius olli
Et quod amabilius. Vidi penetralia templi
Pervasisse, Deus quos ipsa in limina gressum
Ferre vetat, populusque gemens suspiria fundit:
Quippe fames urget, pretiosaque cuncta supellex
Vilibus heu! dapibus iam frustra impensa parandis.
Omnipotens, memores heu quanta miserrima nobis
Obvenere! probris premimur, rubor inficit ora
Fixa solo: nostram hostiles rapuere manus rem.
Pervasere domum: ut pueri nos patribus orbi,
Ut viduae matres: pretio nos emimus undam,
Emimus et ligna; abripimur cervice prehensa;
Nec fessis datur ulla quies, operamque locamus
Assyriae Aegyptoque, et vili vescimur esca.
Crimina maiorum luimus servire coacti
Mancipiis; redimit nullus; perque invia ferro
Quaerimus instructi siliquas discrimine vitae:
Esuries nam dira premit; matresque puellasque
(Infanda heu! refero) temeratas cernit Iudas.

Sic lacrimis Solymam lamentabatur obortis
Tristis Anathothides. Flentis moestissima defert

Vota Deo sacrae qui custos Aliger urbis,
Adiungitque pio Daniel quae fundit ab ore;
Heroumque preces, ut odori turis acerras,
Porrigit, et caelo gratas magnoque Tonanti.
Ille sedet solio, currus flammantis adinstar,
Quod quatuor sublime rotis per nubila vectum
Tollitur assimile electro; circumque supraque
Aera per liquidum rutilans effunditur ignis.
Tegmina summa tenent caeli, ceu discolor arcus
Pinxerit adverso septenos sole colores.
Quattuor apparent rapidis animalia pennis;
Ad dextram facies hominis, faciesque leonis,
Et vituli ad laevam facies, supraque volucrum
Reginae; nimboque pares per inane feruntur.
Sic sedet, et ponto et terris et nubibus altis
Cuncta supercilio movet, et rem prospicit omnem:
Stant circum Aligerum coetus, atque agmina mille
Divum hominumque Patrem, iussis intenta, coronant.
Penniger, Arsacidum custos, (nam cuique facultas
Concessa est fandi) primum sic institit ore:
Magne Parens, quando cunctis tu prospicis aequus
Tutarisque omnes nullo discrimine gentes,
Ah! precor aspicias, mihi quos servare dedisti,
Obduci tenebris turpi et caligine mergi.
Si manet hos inter Iudas, offundet oborta
Lux quaedam miseros, percellet lumina virtus,
Teque unum colere atque unum observare docebit
Et legem scire et sanctos evolvere libros
Infandasque aras ritusque horrescere iniquos:
Ipsas namque feras usu et mansuescere longo
Convictu quisnam neget? Indignatur Iudas
Servitium multumque dolet; sed debita solvit

Supplicia et sordes purgat, velut ignibus aurum:
Dum Iudas Persas inter versabitur, una
Iustitia et pietas caris amplexibus haerent.
Sic ille: at contra Gabriel ita farier infit:
Assyrios inter caecos populumque colentem
Numina foedantemque nefandis usibus aras
Israele sati ducent si longius aevum,
Immemores fidei veteris legisque sacrorum,
Tura dabunt, polluta Nini simulacra secuti.
Ah miseris succurre, Deus: peccata luerunt
Iam satis, assyriis subiecti colla catenis:
Promissis patrum maneas, precibusque benignus
Annue, quas fundunt inopes, quos optimus omnes
Exemplo Daniel praeit, ac solare dolentes.
Da patriam Isacidis tandem Solymamque reverti,
Secura da pace frui, disiectaque templi
Rudera et eversas aras da reddere honori.
Hic Gabriel finem fandi: tunc agmina caeli
Assensu vario fremuere; ast omnibus una
Mens parere Deo, pateat vix dia voluntas.
At decreta Deus tacita sub mente reservat.
Tantum opus Isacidas meritis exolvere vinclis.
At vero Satan, humanum qui genus omne
(Nam livor manet immanis) vult perdere leto,
Hebraeos agitat Persasque, et grandia Beli
Ostentat templa. Haec media tolluntur in urbe:
Octo superpositae magno conamine turres
Quadrato surgunt modulo, quasi pyramis alta,
Externique gradus cingunt, queis culmen adusque
Itur, ubi torus ex auro mensaeque paratae
Numinis: has noctu servat pulcherrima virgo;
Audet nemo inferre pedem: sacraria molis

Ima tenent postes aerati atque aurea signa:
Agni saepe cadunt; sed festa luce quotannis
Tura sabaea focis fumant et aromata multa.
Quandoquidem ut mentes Satan et lumina pompis
Alliciat, sensim Iudamque avertat avitis
Ritibus, ostentat magni solemnia Beli.
Luce stata rex ergo sacras gestatur ad aedes,
Insigni comitum turba, simulatque triumphum.
Per fora perque vias vulgus diffunditur omne
Primo mane frequens: attollitur undique murmur
Mixtum, ingens, ceu quum tumidum mare frangitur aestu,
Vel quum procerae summis in montibus orni
Excutiunt quassantque comas perflantibus austris.
Iam centum crepuere tubae, iamque ordine longo
Procedunt instructae acies; hastilia mille
Tolluntur silvae in morem, galeaeque coruscant
Sole repercussae, luduntque per aera cristae.
Hinc equitum phalerata cohors, hinc candida pallis
Turba sacerdotum, croceis redimita corollis.
Pone subit sacrum pecus: hic et cornua vincti
Auratis tauri vittis, et victima Soli,
Albus equus, mactanda auras hinnitibus implet.
Numinis insequitur currus, quo saepius aethram
Aiunt per liquidam ferri et praevertere nubes.
Hanc molem Assyrii primores veste nivali
Suppositis gestant humeris; prope fertur acerra
Argento caelata, deum qua ture vaporant.
At nil splendidius quam quum spectandus ab altis
Aspicitur rex quadriiugis elephantibus actus:
Sceptra manu fulgent, gemmatae in fronte tiarae,
Pallia texta auro fucataque murice tergo
Dependent, nivea et praecingit corpora byssus,

Tercentique viri subeunt fulgentibus armis:
Nec mortale refert: procumbunt poplite flexo,
Qua vehitur, pronae gentes numenque verentur.
Postremo Beli ritus complentur ad aras.
Festa haec Chaldaei Belo et delubra dicarant:
Huc fertur pietas vulgi; nec victima tantum
Offertur; ter bina meri sed et amphora, et agni
Quoque die quatuor deni, similaeque dabantur
Mensurae quoque bissenae: vorat illa sacerdos;
Nam noctu tacitus tenebrisque faventibus aedem
Ingressus, rapit haec, Belo quae fercula mittit
Credulitas: edisse deum plebs inscia retur.
Regis erat conviva atque inter carus amicos
Iessaeus Daniel: Cur nam, rex inquit, honorem
Ferre negas Belo? viventi nonne paratur
Mensa deo? noster consumit nam omnia Belus:
Illum egomet veneror meque illi subdo minorem.
Nil haec dicta movent vatem, paucisque profatur:
Ne fallax te, rex, capiat neque inanis imago;
Hanc opifex finxit manibus: non auribus audit,
Non oculis cernit, dapibusve epulatur opimis:
Nil nisi, crede, luti est atque aeris inutile signum.
Ipse Deum veneror, qui terras astraque finxit,
Omnipotens qui cuncta regit, qui vota precantum
Accipit, evigilansque favet mortalibus aegris:
Qui fuit aeternum, aeternos victurus in annos.
Ergo sacerdotum Daniel evincere fraudes
Aggreditur: tenui templum clam sternit arena
Undique; dein, positis dapibus de more, tyrannus
Obsignat gemma postes. Vix postera caelo
Aurora enituit, rex ipse accurrit ad aedem:
It lateri Daniel; epulasque ut vidit ademptas,

O salve, inclamat, divum tu maxime Bele.
Subridet Daniel; sparsoque in pulvere regi
Hic illic impressa pedum vestigia monstrat.
Tum frendens visu atque ingenti concitus ira,
Mactari iubet infidos rex morte ministros.
Nec satis: ira faces infensaque tela ministrat;
Eversae sedes, eversae et numinis arae.
Altius his gestis Danielis ad aethera virtus
Tollitur, et magno Persis augetur honore:
Crescit amor Cyri, sobolemque tuetur Iacob.
Ergo illum Daniel dictis compellat amicis:
Rex bone, queis cumulas Abrami sanguine natos,
Quae tibi pro tantis referatur gratia donis?
Accipe: abhinc annis iam mens divina ducentis
Isaiae tua gesta canit: te nomine vates
Compellat: de te quod scripsit perlege carmen.
Ut pastor pecudes propria inter septa reducit,
Quae passim silvis errant et montibus altis;
Sic tu, Cyre, vagum Iudam externoque gravatum
Servitio et patriis extorrem finibus una
Attolles, veteresque domos desertaque reddes
Tecta, meumque novo condes molimine templum.
Te mea dextra reget, Cyre, atque in praelia ducet:
Auspice me, trepidos reges populosque videbis
Vertere terga fugae; confractis postibus urbes
Pandentur, gemmis victor potieris et auro.
Non me tu nosti, et proprio te nomine monstro:
Dilecti nam dulcis amor me tangit Iacob.
Unus ego Dominus, Deus unus, fortibus armis
Te cinxi: gentes sic unum, solis ab ortu
Solis ad occasum, agnoscent Dominumque Deumque.
Miratur dictis et toto pectore gestit

Cambysa satus, Hebraeos Solymamque revolvit
Mente memor; magnique Dei miracla stupore
Percellunt animos et templi fama vetusti.
Urget Gamaliel, aedis cui sacra cupido
Stat cordi, et stimulos optanti talibus addit:
O utinam vidisse datum tibi templa fuisset,
Quae Salomon nostra regum ditissimus urbe
Extulerat! Multa argenti iam pondera et auri
Contulerat genitor, ferrumque et cedrina ligna,
Caementa et lapides multumque coegerat aeris:
Quandoquidem puduit sub pellibus omnipotentem
Incoluisse Deum, stabili nec sede moratum,
Dum Solymae exciperent aurata palatia regem.
Sed quamvis operi Iessides tanta pararet,
Attamen abstinuit coeptis; nam sanguine dextram
Polluit hostili mediis versatus in armis.
At Salomon studio pacis quum regna subiret,
Monte super sancto, David qua condidit aram,
Visus ubi iuvenis demittere penniger ensem
Mortiferum, cubitis in quadrum surgere templum
Quingentis immane iubet Dominoque dicari.
Vestibulum ante duplex praegrandi mole columnae
Surgebant geminae; scite phoenicius Hiram,
Artificum princeps, caelato excuderat aere:
Ipse etiam sacras tripodas et ahenea labra
Finxerat, insculptis et vasa ingentia formis
Et phialas cultrosque ac diverso ordine lychnos
Et candelabrum septem spectabile flammis.
Aerati hinc postes atque atria longa patebant,
Hinc mensae et multis redolentes turibus arae,
Et vestes rutilae gemmis auroque rigentes.
Ut complevit opus Salomon, ibi marmora legis

Bina locat, Deus omnipotens quae scripserat ipse,
Vertice dum Sinae cum Iuda foedus iniret.
Haec aditu templi simul asservata verendo
Setim ligna tegunt; geminique haec desuper alis
Ex auro extensis ornant hinc inde Cherubim.
Sed quisnam referat, sacro quum more dicatum est
Templùm opulentum, ingens, magni solemnia ritus?
Undique conveniunt omni e regione frequentes,
Iudam urget pietas visendique alta cupido;
Perque dies septem et septem citharaeque tubaeque
Dant sonitum; longo succedunt ordine mystae,
Iessaeis laetum numeris paeana canentes;
Turis odorati plenae funduntur acerrae;
Lanigerum pecus innumerum innumerique iuvenci,
Nec sic unquam alias, altaria sanguine tingunt.
Tum ruit extemplo superis e nubibus ignis
Aeterius, rapidaeque absumunt omnia flammae:
Sed multa subito caligine funditur aedes.
Dum trepidant — Deus, ecce Deus — laeto ore sacerdos
Maximus inclamat; prostratus corpore toto
Rex procumbit humi supplex, cunctique sequuntur;
Neve ulli subiisse datum, namque alta Tonantis
Maiestas habitans nebula compleverat aedem.
Tum populi ad caelum fertur vox una precantis,
Votaque natorum Iacob Deus excipit aequus.
Tanta haec Gamaliel memorat: bibit aure benignus
Pluraque rex secum Iudae pro gente volutat.
Smerdis, ut invisum Danielem novit honore
Augeri carum Cyro, regemque movere
Mente palaestinis Hebraeos reddere terris,
Uritur invidia; maiores adiicit ignes
Satan, qui nuper Beli depulsus ab aede

Egregium vellet iuvenem sacramque fidelis
Abrami sobolem, si fas, deperdere leto:
Quandoquidem Babylone magis est alta potestas,
Altus honos, illos rex ipse et turba verentur.
Ille ergo doctus fraudes artemque nocendi,
Nil intentatum linquit, letale venenum
Omne vomit: dubia blandos rex excipit ultro
Aure sonos, variisque anceps sermonibus haeret.
Smerdis at ignaro magis usque illudere vulgo
Nititur horrifici monstris et fraude draconis.
Huic maculis variae depingunt tergora squamae,
Cervici insignes cristae, flammantia fulgent
Lumina, et ingenti linguam vibrat ore trisulcam:
Metitur fani late loca, nunc caput altum
Attollit, cauda nunc circum advolvitur arae.
Qui specie colubri facilem deceperat Hevam,
Hac mavult ratione coli teterrimus hostis,
Unde hominum genus inficiunt contagia culpae.
Credula turba dapes certatim ac munera dèfert
Huic monstro, multoque altaria sanguine spargit,
Quam tamen obtenta ludit pietate sacerdos.
Haud coleret Cyrus, nam Soli vota facessunt
Arsacidae, Solemque unum, ceu numen, adorant.
Attamen Assyriis morem gerit, ipseque fanum
Inscius ingreditur, donec, Daniele magistro,
Insidiae ac miseri pateant ludibria vulgi.
Tunc rex: Nonne Deus vivens hic? poplite curvo
Ergo cole. At Daniel: Unum divumque hominumque
Ipse Deum colo, qui iussit splendescere solem
Ex nihilo lunamque et summi sidera caeli,
Qui caelum terrasque immenso numine complet.
Da mihi, rex, veniam: divinum morte draconem

Conficiam, nec fuste ullo, neve ensibus usus.
Annuit ille: pilos heros adipemque picemque
Excoquit, atque avidis mixtam dat faucibus offam.
Vix hac pastus erat, turgescunt pectora venis,
Perque artus pestis fundit letale venenum:
Nunc ferus erigitur spumans, nunc colla retorquens
Horret et obliquos spiris sinuatur in orbes,
Corruptam vomit et saniem: nunc surgit in auras,
Nunc terram mordet, donec superante veneno
Rumpitur: apparent foedatis viscera in aris.
Visendi studio accurrunt ad limina templi,
Miranturque iecur diruptum et tergora squamis
Horrida et immani disiectum pectus hiatu.
Occupat hinc heros: Heu gens male credula, clamans,
En cui tura volens, cui divum dona dedisti!
Miratur rex ipse, Deum et Danielis adorat.
Interea sol bisdenos exegerat orbes,
Altera iamque dies effluxerat; ecce superna
Laetantem Omnipotens Michaelem mittit ab arce,
Mandet ut Aligero, cui regni credita cura
Persarum, aeterna tantum quod mente statutum:
Vincula mancipii Gabriel disrumpat Iudae,
Cuique Palaestinam sit fas invisere sedes
Et remeare suas, Solymorum condere muros
Et templum: Daniel Persarum principis astet
Usque comes, regat et populos: haec debita merces
Sit Cambysiadi, qui sic solatur Iacob.
Bethoroniti haec quando manifesta patescunt,
Dilectae soboli gestit tam fausta referre.
Turba frequens stipat venientem, intentaque perstat
Auribus: hic vultu facili sic grata locutus:
O fortunati, surgunt quibus alta Sionis

Moenia, iamque datur patrii Iordanis ad oras
Incolere atque novi fastigia condere templi,
Quod veteri anteferam; nam felix omine magno
Progeniem gestit complectier Omnipotentis,
Exuviis indutam hominum et divina loquentem.
Sed durate boni, manet et res plena pericli:
Hostis erit, ciet et turbas, mediosque labores
Abrumpet, muros urbis subvertere nisus
Insidijs et vi: fortes obsistite contra,
Intendant operi dextrae, dependeat ensis
Affixus lateri et peltarum tegmina tergo:
Terreat armorum nullus furor et fera gentis
Classica, neve dolis capiant vos mollia verba.
Prodigiis favet ipse Deus; quando sacer ignis
E caelo datus haud unquam extinguendus aduret
Dona Dei. Solymis exul cum cederet, illum
Progenies Heber ignoto celavit in antro:
At quid restat adhuc? marcens et crassior unda
Rupe cava: super imponent altaribus, ut mos,
Ligna tamen, pinguis fundent aspergine lymphae:
Atque ubi sol circum fusa de nube micabit
Primaque demittet radiorum spicula in aram,
Protinus inde vorax se flamma attollet ad auras.
Caelicolum siquidem Michael fortissimus alis
Vos tegit, o socii, stricto ac mucrone tuetur:
Ille, iubente Deo, phariis e finibus olim
Mancipium eduxit Iacob fregitque catenas:
Astitit ille duci Iosue, et felicibus arvis
Iordanis, tantos post casus et fera bella
Erroresque, dedit demum consistere gentem;
Ille modo iuvat extorres, laqueosque resolvit.
Praescius id novi. Dum flerem ad Tigridis oram,

Ecce mihi ante oculos niveo vir cinctus amictu,
Cui latera auratis zonis, cui luce coruscant
Os oculique, nitet diffusus corpore candor
Chrysolitho similis: quum verba emittit ab ore,
Perculsum tonitru credas caelum omne cieri.
Haec ego cernebam solus: formidine capti
Diffugere alii, atque imis latuere cavernis.
Ipse tremens toto proiectus corpore terrae
Haerebam: attactu mollis tum dextra iacentem
Erigit, arrectasque simul vox venit ad aures:
Pone metum, Daniel, iam te ventura docebo.
Sedibus e superis captivi solvere Iudae
Veni vincla; mihi luctanti viribus aequis
Obstitit at Princeps Persarum: numine dextro
Donec siderea Michael demissus ab arce
Advenit, Michael, cui parent agmina caeli
Atque Dei mandata refert. Sic ille diremit
Certamen, vobisque datum, Michaele secundo,
Iam patrios iterum regressis visere fines.
At maiora feram, vos haec mea figite dicta.
    Vesper erat, sacris quo tempore ritibus orant
Hebraei veniam sanctus mactatur et agnus.
Ieiunus, cinere aspersa cervice, precabar
Indutus sacco, cupidusque volumina vatis
Volvebam Helciadae, capti qui tempora Iudae
Praecinuit septem decies volvenda per annos:
Quum Gabriel, visus iamdudum, praepete penna
Advolat, et lenis cupido mihi talia fatur:
Vir desiderii, Daniel, haec accipe verba:
Hebdomadae septem decies volventur, et ecce
Abramidum populo lux illa optata refulget,
Qua culpa abluitur, qua gentibus alma sereno

Pax ridet vultu, complentur et omina vatum,
Ungitur et sanctus populi Pater atque hominum Rex.
O vos felices, dixi, queis cernere tantum
Servatorem hominum, dabiturque audire docentem
Verba arcana Dei, et rerum miranda tueri.
Sed loquar an sileam? non hunc agnoscet Iudas,
Heu miser! heu quantis obducet corda tenebris!
Immo etiam hostiles.... At cur tam dura retexam?
En prope tempus adest, quo solvat vincula Iudas,
Quo templum Solymis ac diruta moenia surgant.
Post haec (hebdomadas numera) sacra victima, Christus,
Caeditur, horrendum facinus! Tunc ingruit ira
Caelestis, Iudae abiicitur populusque rebellis.
Dux ruit immanesque acies; evertitur omnis
Urbs Solymae; fumat flammis ardentibus aedes,
Neve ultra exurget: luctus dominatur ubique,
Et deserta diu Iordanis litora squalent.
Assyrium eversum est regnum, nec tempore longo
Imperium Persis dabitur: me noscere sortes
Regnorum Deus ipse sinit panditque futura.
Namque mihi, Eulaeum ad flumen dum forte sederem,
Sese aries praestans proceris cornibus offert:
Quorum unum increscens aliisque excelsius ictu
Occiduam australemque plagam septemque triones
Percutit ingenti; vertunt animalia quaeque
Terga fugae, nullisque datum est obsistere contra:
Omnia ad arbitrium movet ille atque omnia versat.
Dum miror, caper hesperiis en surgit ab oris,
Qui celeri rapitur pede, vix et praepete cursu
Summam tangit humum, et totum praetervolat orbem.
Huic insigne nitet gemina inter lumina cornu:
Irruit immani nisu, cumque ariete pugnam

Acer init, furiis ardens atque impete magno
Cornigeram frangit frontem: revolutus arena
Est aries, vacuas vis omnis abivit in auras.
Corpore tum grandi succrescens rumpitur hirci
Cornu ingens: ruptum quatuor sed cornua gignit
Ad quatuor caeli ventos; quorum extulit unum
Sublimem frontem, terrarum et fortia vicit;
Sideraque aggressum, sanctam deiecit et aedem.
Talia prospiciens haerebam, animoque agitabam
Ignarus quid monstra ferant: sed forma repente
Nota viri obiicitur, voxque haec mihi fertur ad aures:
O Gabriel, visum pandas. Formidine captus
Dirigui, cecidique tremens genibusque solutis:
Porrigit ille manum, plantis et corpore toto
Erigor, et facili Gabriel sic incipit ore:
Rex Persarum aries, Graecorum est fortior hircus,
Quem simulat positum gemina inter lumina cornu.
At vero Arsacidum surgent tres ordine reges,
Quorum erit unus opum dives pollensque quadrigis
Belligeris: Asiam in Graecos ciet ultimus omnem.
Innumeras acies agit, infelicibus ausis;
Fractus enim pugna ruit, et fortissimus inde
Subsequitur, quo coram omnis tremefacta silet gens.
Sed quidnam firmum terris? rapit omnia tempus.
Continuo fugit ille, polo velut emicat ignis;
Quattuor in partes regnum laceratur, et ultra
Nullus adest ducis invicti de semine cretus.
Quattuor hinc rupto cornu; nam quattuor inde
Exurgunt reges, parili non robore fortes.
Unus erit, propriis nequaquam viribus audax,
In Iudam, crudelis, inexorabilis hostis.
Callidus heu quantos luctus clademque ciebit!

Polluti iuges templi delentur honores,
Festa tacent, avidaeque argenti pondus et auri
Abripiunt dextrae, mulctatur morte sacerdos.
Ille furit, diris prognatos torquet Iacob
Suppliciis Solymamque infandis cladibus implet,
Ut patrias leges venerandaque iura relinquat,
Quae Moses dedit Abramidis: haud parcitur ulli,
Et senior cadit et iuvenis matresque puellaeque.
At graviora ferox lymphata mente volutat
Consilia in sanctos Iudae; sed magna Quiritum
Vis illum fugere impellit, fugiensque furorem
Immeritam in prolem vecors effundit Iacob.
Debita deficiunt sacri solemnia cultus,
Hostia foeda cadit; populus sed iussa repellit
Infanda, haud gladium veritus flammasque necemque
Servitium et crudele, Deoque fideliter haeret.
Parva manus iuvenum, fortissima pectora, surgunt
Et celeres in bella ruunt; sed fraude dolisque
Vexantur: quodcumque lubet rex impius audet,
Contemnitque Deum: sceleratis omnia coeptis
Fausta cadunt; vindex namque illum Numinis ira
Optatisque frui sinit et gestire triumpho.
Hinc pharias audax invadit milite terras,
Et bello victor spoliisque excedit onustus.
En templum, rapturus opes aurumque repostum,
Ingreditur miles, gazae cui dira cupido:
Terribilis vultu, fulvoque micantibus aere
Armis, altus eques liquidum per inane videtur;
Sacrilegumque ducem atque inhiantem turpiter auro
Calce ferit duro sonipes: hinc paret et inde
Formosus specie iuvenis pallaque nivali;
Ictibus attritum terrae virgisque fatigant,

Qui meritam sceleri dat poenam, exemplar in aevum
Munera sacra manu nunquam violanda rapaci.
Plebs fugit interea, silvis specubusque profundis
Occulitur, potius leto succumbere prompta
Quam, quum sacra dies luxit, praecingier armis.
Sed tandem assurgit Deus ultor: regia tabo
Membra scatent, totoque erumpunt corpore vermes.
Effugiunt acies visu, miserumque relinquunt.
Vicit enim Michael; Michael, qui maximus alto
E caelo princeps veniet, servabit et omnem
Progeniem Isacidum, meritae cui praemia vitae.
 Haec mihi, qui niveo lino circumdatur, inquit,
Et mediis surgebat aquis: hinc margine et inde
Flumineo binos alios astare videbam.
Ille autem ad caelum palmas extollit utrasque,
Testaturque Deum cuncta eventura, iubetque
Nos animo memori servare et condere verba.
Nec quae postremis tandem servata diebus
Erumpent terrasque cient terrore silebo.
Tempus enim adveniet, quo non atrocius ullum,
Et fera quae fuerunt terris longe omnia vincet.
Nam gens in gentem ruit, ac horrentia bella
Undique conscelerant fraterno sanguine campos:
Hic graditur vesana fames, hic pallida morbo
Pestilitas furit: hic imis agitata latebris
Concutitur tellus vastoque dehiscit hiatu;
Infremit horribili sonitu mare, mugit et aestu;
Luna cruore rubet, convulsaque sidera caelo
Praecipitant, caput et nigris sol obtegit umbris;
Fulgura non alias, populo trepidante, sereno
Intonuere polo; flammis torrentibus omnis,
Ultima namque dies urget, consumitur orbis.

At vir fallendi doctissimus, impius, audax,
Regales Solymis diosque adsciscit honores
Ipse sibi, dum terra novis exterrita signis
Intremit, obtutuque amens immobilis haeret.
Spernit et ille Deum, crudeli et vulnere torquet
Omne genus, geminosque viros, qui funera nondum
Translati videre, sacra detruncat in urbe:
Saevit et in plateis, inhumataque corpora linquit.
Ecce autem Michael, nostri cui maxima cura,
Interimit monstrum et iuges detrudit in ignes.
Tum vero Isacidum gens, quam Deus aspicit aequus,
Servatorem hominum noscet; velamen obumbrans
Corde cadet; pecus errans ingredietur ovile.
Interea qui dormierint in pulvere longum
Excutiunt somnum, superas et rursus in auras
Evadunt: iuvenum manus aligerum evocat omnes
Iudicis ad solium: secernitur impia turba
Ad laevam, dextraque insontes sede locantur:
Ut pastor, post actam hiemem, quum septa relinquit
Omne pecus, sollers olidas legit ante capellas,
Et ducit niveas in pascua laeta bidentes.
Immortalem agitant cuncti per saecula vitam,
Dissimiles tamen ah! quantum: pars namque beatos
Caelicolas inter, veluti lux vivida, fulgent;
Horrida pars densis at circumfusa tenebris,
Heu dolor! heu gemitus! aeterno incenditur igne.
Sic vera edebat Daniel, ut spiritus afflat
E superis: caeca nunc verba ambage revolvit,
Nunc loquitur manifesta. Haerent, stipantque frequentes
Hebraei, docilesque alto haec sub corde recondunt.
Interea Abramidum convenerat undique longo
Collecta exilio soboles, matresque virique

Et proceres populi et qui sancti seminis Aaron
Sacra ferunt, laetis animis omnesque parati
Optatas rediisse vias, pariterque canebant:
Quum iam captivi Solymam remeamus ad urbem,
Incipiunt aegras perfundere gaudia mentes,
Et linguis animisque una gestimus ovantes.
Fama refert late populis quam grandia Iudae
Munera praestiterit Deus. Ut spirantibus austris
Praerapido torrens cursu festinat in altum,
Sic, duce te, nostras properamus visere sedes.
Qui spargit lacrimans sua semina, pectore laeto
Ille metit; flentes credebant semina terrae,
Sed referent hilari redeuntes corde maniplos.
Sic sacros recolunt numeros. Iam dorsa cameli
Subiiciunt opibus, docilesque onerantur aselli,
Ingredi iter iam gestit equus: peragrantibus est mens
Una Palaestinam Daniele redire magistro.
Urbe ruunt tota, fervent migrantibus arva,
Utque comes Daniel iungatur pluribus orant.
Hic scit quid placitum superis; et pectora quamvis
Urit amor patriae, maior parere Tonanti
Cura sedet, volvitque animo qua possit ab urbe
Regali prodesse suis, ab rege secundus.
Dulcia sed populo cedenti gaudia miscet;
Iamque etenim rex haec edici verba iubebat:
Omnipotens mihi regna Deus dedit omnia terris:
At priscam dudum Solymae sibi mandat haberi
Quam sedem incoluit; divina haec iussa facessam.
Ergo quisquis adest Iudae de semine, carpat
Tutus iter, si forte lubet, patriamque revisat.
Illic magna novo surgunt molimine templa,
Nam Deus est Solymis: auri argentique talenta

Dedam egomet; fas cuique operi conferre laborem.
Haec Cyrus: reddique iubet quae vasa tulere
Aurea Chaldaei, atque argentea cymbia, cultros
Caelatosque scyphos, grandes ex aere lebetes,
Et phialas, templi quaeque ornamenta vetusti
Asservantur adhuc, Belo nunc sacra supellex.
Iam Daniel duplici praecinctus tempora serto
Emicat: Isacidae, vinclis post tempora longa
Abruptis, Solyma alta petunt: iacet improbus anguis,
Assyriae fallax Deus et ludibria gentis:
Infernas Satan fugit indignatus ad umbras.
Sic vinces tu, magne Parens iustique Magister:
Penniger, Italiae custos, iam sedibus altis
Fert tua vota Deo supplex lacrimasque precesque.
Annuit Omnipotens, et Satan fulmine sternit:
Sternitur et Satanae soboles; ac, te duce, tandem
Libertate frui dabitur: nam cogimur aevo
Heu, nimium longo! dominis parere superbis,
Immanique iugo premimur. Foedissima rictu
Bellua, culta Italis, rubor heu suffunditur ore!
Bellua, quae populos crudeli dente lacessit,
Funditque ausonios civili sanguine campos,
Usque furit, nec ventrem epulis infamibus implet:
Et tamen, irascor memorans, huic hostia passim
Offertur, redolentque indigno altaria fumo.
O patria, o cives, o dulcia pignora, quisnam
Vos furor impellit? ritus arcete nefandos;
En novus hic Daniel: Crepat impia bellua (clamat),
En cui tus, dios en cui tribuistis honores.

ANNO MDCCCLXVII

ADNOTATIONES

V. 12 . . . . *cretus Anathoth etc.* — Ieremias, filius Helciae e familia sacerdotali quae morabatur in vico Anathoth, urbe levitica.

V. 17 *Heu mihi! etc.* — Ier. Cap. I et seqq.

V. 83 *Reginae; nimboque pares etc.* — Ierem. Cap. II, Ezech. Cap. I.

V. 88 *Penniger, Arsacidum custos etc.* — Dan. Cap. X, 13 Princeps autem regni Persarum restitit mihi.

V. 104 *Iustitia et pietas etc.* — Dan. Cap. X.

V. 128 *Octo superpositae etc.* — Herodot. Lib. I.

V. 178 *Regis erat conviva etc.* — Dan. Cap. XIV, 1 et seqq.

V. 212 *Isaiae tua gesta canit etc.* — Isai. Cap. XLIV, 28: Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Et Cap. XLV. 1-28. Haec dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes, et dorsa regum vertam et aperiam coram eo ianuas et portae non claudentur. Ego ante te ibo etc.

V. 363 *Sed durate boni etc.* — Esdra II, Cap. IV, 6.

V. 371 *Prodigiis favet ipse Deus etc.* — II Machab. Cap. I, 20 et seqq.

V. 374 *Progenies Heber etc.* — Sunt qui ex hoc nomine Heber, tamquam ex progenitore suo, Abrahamum eiusque posteros *Hebraeos* appellatos fuisse crediderint. Calmet. Diction.

V. 381 *Caelicolum siquidem etc.* — Daniel Cap. X.

V. 412 *Ieiunus, cinere etc.* — Daniel Cap. IX.

V. 440 *Imperium Persis etc.* — Daniel Cap. XI.

V. 442 . . . *Eulaeum ad flumen etc.* — Dan. Cap. VIII, 2. Visum contigit Susis, in provincia Elam aut Elymaidis. Flumen vero Eulaeus erat in Elymaide; quare porta urbis, super quam translatus est Daniel, quando ei obiectum est visum, forsitan flumen prospiciebat: hinc nomen Ulai.

V. 443 *Sese aries praestans proceris cornibus etc.* — Cornu, orientalium sermone, robur, magnitudinem, imperium, gloriam designat. Calmet. Comm. VIII.

V. 463 . . . *forma repente Nota viri etc.* — S. Hieronymus arbitratur fuisse Michaelem Archangelum, Iudaeorum patronum; qui iussit Gabrielem visum Danieli pandere.

V. 481 *Quattuor hinc rupto etc.* — Alexandri Magni duces, quos inter dividitur imperium post eius mortem.

V. 483 *Unus erit etc.* — Antiochus Epiphanes (I Mach. Cap. I, 11). Hic fuit octavus rex Syriae, et crudeliter persecutus est Hebraeos.

V. 502 *Parva manus iuvenum etc.* — Machabaei.

V. 511 *Ingreditur miles etc.* — Heliodorus. II Mach. Cap. III.

V. 585 *Quum iam captivi etc.* — Psalm. CXXV: In convertendo Dominus etc.

V. 607 *Omnipotens mihi regna Deus etc.* — Esdra I, Cap. I.

V. 641 *En novus hic Daniel etc.* — Pius IX Pont. Max., qui, post rebellionem anni MDCCCII, numisma edidit, anno V pontificatus sui, quod Danielem praeseferet et diruptum draconem, his verbis in exergo scriptis: Diruptus est draco. Et dixit Daniel: Ecce quem colebatis (Cap. XIV, 26).

PETREIDOS

LIBRI III

PETREIDOS

LIBER PRIMVS

ARGVMENTVM

Petrus, hospes Cornelii Pudentis Senatoris, in eius aedibus exquilinis celebrat paschalia festa anni LXVII. Sermonem habet, pluresque sacros Pastores consecrat. Summo mane populus romanus ad Floralia circi finitimi convenit. Interea Onesimus Paulo addictissimus, qui tunc temporis in Mamertino carcere detinebatur, de eo refert nec non de rumore modo audito, Neronem reducem ex Achaia naufragium fecisse. Interim Petrus strenue maximi Pastoris munere fungitur, eodem fere tempore, quo Simo Magus nil linquit intentatum, ut omnes corrumpat. Tigellinus, captus amore Aegles, virginis christianae, eam ad se trahere Simonis praestigiis frustra tentat. Hic quoque incassum ad vitam revocare nititur iuvenem mortuum in Palatino; id quod Petrus praestat facillime. Gamaliel, Iudae senior, permotus portento hoc, Petrum adit noctu, ac, post colloquium cum eo habitum, christiano gregi accensetur, pluresque Iudaei illum sequuntur. Interea Nero improviso rediens, velut triumphans, Urbem ingreditur. In palatinis aedibus magna cena paratur. Simo, Tigellinus et Aelius in Christianos persecutionem, maxime in Petrum, inito consilio, parant.

Dicimus Heroa, e Iudae qui finibus Urbem
Advenit, et Christi praesenti numine victor
Sacrae signa Crucis romanis arcibus infert,
Passus multa, Iovis dum turpem everteret aedem,
Vinceret et Satan magicas Simonis et artes,
Donec Ianiculi roraret sanguine montem,
Christiadum summum Caput, unde et maximus ordo
Pontificum et Romae aeternum per saecula nomen.

    Tu, Pie, Christicolum Pater et sanctissime Pastor
Divini gregis et fidei morumque Magister,
Qui merito Petri cathedra considis eadem,
Romanum hoc sacrumque tibi bonus excipe carmen.
    Exquilias inter dictumque a vimine collem
Vicus erat, (quondam tristis locus ossibus albis
Vexatusque feris, et rara mapalia vulgi)
Nomine Patricius; sed, quum Nero sceptra teneret,
Illustris, nam magna Pudens ibi tecta colebat.
Non hic mancipium, veluti canis, excubat arctis
Ad portam obstrictum vinclis duraque catena,
Nec plebs arcetur pannosa; at limina quivis
Vel tenui de plebe subit, nam nec timor ullus,
Sed pietas sedet et facili clementia vultu.
Ut Romae procerum mos est, huc turba clientum
Affluit, et tanti tutatur nominis umbra.
Ille senatores, princeps velut, eminet inter
Consilio et virtute: Petrum qui primus eois
Litoribus Romam venientem exceperat hospes,
Quemque, auctore Petro, lustralis tinxerat unda.
    Ergo haec Christiadae securi tecta petebant,
Nocte favente, sacris intenti ritibus una,
Fundebantque preces; divino hic corpore pasci;
Hic labes animi patefactis tergere culpis;
Hic Petrus, insidens sella sublimis eburna,
Verba referre Dei, et Sanctos sermone morari.
    Iamque dies iucunda aderat, qua Christus in altam
E tumulo, mortis victor, se sustulit aëthram;
Maximus et Pastor Romae solemnibus aris,
Scilicet occultus, festos reddebat honores.
Conveniunt lecti patres Cletusque Linusque,
Pontificis lateri astantes, e semine Clemens

Romulidum satus illustri, sanctique Quirites,
Eubulus, bini et Corneli e germine gnati;
Affuit et Torpes regali ab sede magister,
Et quoque Alexamenos Libanusque et stirpe Corinthus
Praeclara, pluresque alii florente iuventa,
Regia quos nutrit delectos inter ephebos,
Namque palatina colitur quoque Christus in aula.
Hic pietate Pudens, meritis insignis, et uxor
Tanto digna viro, et geminae virtute sorores,
Candida Praxede simul atque Pudentia virgo,
Atque aliae, tonsae crines et vestibus albis
Indutae, matrumque manus devota seorsum,
Velatae lino vittis vultuque modesto,
Dives Anastasia hic, hic et Basilissa virago,
Et pueri columen, Plautilla, parentibus orbi.
Unus abest Paulus, longo nam tempore vinctum
Mamertina illum saevi regnantis ob iram
Claustra tenent, quando formosae suadet Iphicle
Fraudibus haud falli turpique cupidinis aestu,
Regales fugere amplexus, floremque tueri
Virgineum, puramque sequi connubia Christi.
    Ergo domus ubi Corneli patet amplior aula,
Prospiciens partem qua sol exurgit ab alto,
Conveniunt omnes, tacita sub nocte, sequentes
Christum Romulidae, et sacris solemnibus astant;
Primum etenim hoc nostris statuebat Roma sacellum.
    Attalicis ergo peplis florumque coronis
Ornatur paries, festaque virentia myrto
Marmora calcantur rubeis aut strata tapetis;
Innumeri cera lychni flammante coruscant,
Et locus unguentis Arabumque vaporibus halat.
Levibus hic lignis triplici veloque nivali

Obtectae, assimiles arcae tolluntur et arae,
Et super effundunt septem funalia lucem:
Has prope sacra parant insculptis aurea signis
Vasa, resurgentis Christi quae facta retractant;
Et vacuum in pateris excisa rupe sepulcrum,
Caelestisque chori iuvenes hinc inde sedentes;
Et positum capiti velum, quaeque unguine multo
Condita obvolvere sacrum nova lintea corpus,
Et stratus terris nimia formidine custos,
Mugit ubi tellus tremitu et concussa dehiscit.
Graius haec, Christo peperit quem Paulus Athenis,
Corneli iussu, caelato sculpserat aere.
Interea pia turba genu deflexa ferebat
Munera Pontifici, panchaei turis odores,
Auratisque cadis vinum et cerealia liba,
Et parcis fabricata apibus flammantia dona.
Ecce autem sacris resonat concentibus aether,
Quos et iampridem proles iessaea canebat,
Vocibus alternis repetunt, atque Omnipotentem,
Qui solem et lunam et terras, qui fecit et altum,
Sideraque immenso caelum volventia gyro,
Extollunt; spernuntque deos et signa deorum,
Ut Satan opus et falsae ludibria mentis.
Dum nox alta favet, dulci dum corpora somno
Dant homines, superum Regi tibi carmine laudes
Dicunt, namque tibi aeternum per saecula nomen,
Une et Trine Deus, Pater o rerumque hominumque,
Aequaeva o Soboles, aequaevi o Flamen amoris.
Cantibus expletis, inter solemnia Petrus
Corneli sella insidens sic ora resolvit:
Christiadae, toto quo tempore volvitur annus,
Maior nulla dies hac, nec magis ulla colenda;

Quandoquidem lux sacra redit, qua victor averni,
Militibus stratis, Christus, versoque sepulcro,
Morte triumphata, vitae se reddidit auris.
Ipsemet haec monuit: Monstrosi ut corpore cete
Absorptus iacuit Ionas, ac non nisi ternos
Post soles media vomitur revolutus arena;
Sic ternos me terra dies peregrina sepulcro
Excipiet, donec devicta morte resurgam.
Aspiciensque procul templum, Si solvitis, inquit,
Tantum opus, hanc triduo mihi fas extollere molem.
Vidi ego post Crucis exitium persaepe Magistrum,
Viderunt duodeni, et fratrum plurima turba
Vitales spirantem auras et multa docentem,
Seu nos detineant Cenacula seu mare tutum
Invitet iactis rimari retibus undas.
Quin etiam pisces assos et adorea liba
Mandit, et ipse suos praesens solatur alumnos,
Et cumulat donis, ut vim mortalibus aegris
Inserat, atque hostes infernaque praelia vincat.
Christiadas contra quid non molitur inique
Satan, et Satan prognata e germine proles?
Sic olim in caelos inflata mente gigantum
Signa movet, soliumque Dei conscendere tentat:
Sed quid adhuc? subito proiectus sternitur igni
Aetherio meritasque luit pro crimine poenas.
Hos quoque praemonuit Christus nos ferre labores
Heu! duros nimium mortemque subire paratos;
Id probat eventus; dolor undique et undique luctus:
Sed durate boni; manet et de clade tropaeum.
Religio Christi stabit, nullo excidet aevo:
Ut defixa solo firmis radicibus arbos
Succrescit ramis, foliisque virentibus orbem

Protegit immensum, non ullis flectitur austris,
Quin spernit duras hiemes rabidasque procellas.
Haud aliter, dum nos piscosum verrimus aequor,
Nubibus obruitur caelum, pelagoque ruit nox
Improvisa, ratis fertur stridentibus undis
Huc illuc, inopesque mari iam mergimur alto.
Nos placidae Iesum, dantem sua membra quieti,
Excutimus somno trepidique in vota vocamus.
Imperat ille, tacent venti, tenebrisque fugatis
Lux micat et tremulo subsidunt marmore fluctus.
Iam delibor ego, non haec solemnia posthac
Rursus agam, mihi summa dies Pauloque propinquat,
Quae Christi amplexu aeternum simul uniet ambos.

His dictis deiecti animis victique dolore,
Ploratus gemitusque cient; ubi linquere gnatos,
Quos peperit Christo norunt, nil tristius illis.
Vix planctus tacuere, Petrus sua verba reposci,
Se signari oculis sensit; fiducia rebus
Ne desit fluxis, placida sic voce secutus:

Quid referam portenta oculis in vertice sancto
Visa meis, memori renovant quae gaudia menti?
Credite, vera loquor, claram mutatur Iesus
Actutum in speciem, radiis rutilantibus, ut sol,
Quum caeli medium currit nitidissimus orbem;
Ora micant, vestes pulcra nive candidiores.
Ecce hinc Elias apparens indeque Moses,
Arcano Christum se inter sermone morantur.
Admiror, rapiorque animo dulcedine tanta,
Ut superum iam pace frui, iam luce viderer.
Quid loquar, ignoro; sed nubes fulgida circum
Funditur, et delapsa polo vox fertur ad aures:
Magna Dei haec Soboles, divina facessite dicta:

Et subito tenues visum vanescit in auras.
Nos pavidi trepidare et humi procumbere proni;
Erigit at Iesus, namque ipse remanserat unus.
Haec egomet vidi; mage sed praecepta Magistri
Figite vos animis: haec lampas clara fugabit
Umbras signabitque viam; sic tramite certo,
Post varios casus duraeque pericula vitae,
Caelicolum dabitur suprema sede potiri.

Sic ille; ac tandem libatur victima Christus.
Indubitata fides: escam et sese omnibus offert;
Ipse latens tenui crusti sub imagine, fallit
Mortalem obtutum: Christi succensus amore,
Quisquis adest, avidus divina ad pabula currit.

Haud tamen est sacris finis; nam quum datur uni
Sceptra vicesque Dei gerere ac praecelsa potestas
Petro, ut ducat oves ad pascua, ducat et agnos;
Pontifices iubet in populos. Stant ordine mystae
Ante aram, sacris praecincti corpora linis
Proiectique genu, rectam qui tradere iurant
Doctrinam fidei, ac supremi iura Magistri.
Ipse manus capiti imponit septenaque dona
Advocat, aeterni concessum pignus Amoris,
Et palmas sancta et cervices ungit oliva;
Haec concordem animum simulant et suavia pacis
Fenora, in incultam ceu quae redolentia barbam
Decurrunt unguenta Aronis de vertice sacro.
Munia porrectis dein pastoralia virgis
Dat, miti regere imperio, atque ad pascua lecta
Ducere oves, campisque iubens arcere malignis.
Magnum opus augustumque, ipsisque negata potestas
Caelitibus, veteres quam nec novere parentes,
Abramidum claro quamvis e semine creti.

Sublata et dextra populo bene fausta precatur;
Tempora dein sacris ornantur pulcra tiaris,
Coniugii demum ut sancti sacra foedera signet,
Pastorum digito gemmas insertat et aurum.
Dona Sabinillae haec fuerant, ubi tincta lavacro
Sprevit opes ultroque aureas demisit inaures
Et torques fulvoque armillas aere coruscas,
Sardonycas, beryllos et rubeas amethystos.
Pallia demum humeris praecingit, maxima tanti
Signa ministerii; diversas cuique regendas
Dat gentes, aequat partes operisque labores.
Aequicolis Marcus, Campanis praesit et Aspren,
Veronae Euprepius, Lucae Paulinus, ad oras
Ticini Syrus, et Tusci te, Romule, habebunt,
Pancratium Siculi, mox te, cui nomen Apollo
Fecerat, Aemiliae cives: sic itala tellus,
Fortunata nimis, Christo sacrabitur omnis.
Hinc nova lux fulget, tenebras et discutit oris
Occiduis late offusas: tum Sequana primos
Pastores flavusque Tagus, tum maximus Ister
Rhenusque et Rhodanus celer amplectentur ovantes;
Aequus quandoquidem superumque hominumque Repertor
Aeternoque sedens solio, discrimine nullo
Terrigenas vocat ad caelum, Deus omnibus idem.
    Tanta resurgentis Christi solemnia Petrus
Extremum celebrat, dein sed labentibus annis
Festa dies mensas statuit, quas nomine nostri
Dixerunt Agapen patres, quum ponitur agnus,
Haud ritu veteri, Christi sed mitis imago.
    Iam sacra Christiadae nocturnis coepta tenebris
Complerant, caeloque oriens aurora rubebat,
Quum procul auditur murmur: Floralia circi

Finitimi redeunt; populo commixta frequenti
Exquilias pia turba domos occulta relinquit,
Et sua tecta subit, ludos exosa profanos.
At Petrus tacita solus se sede recepit,
Moestus ubi assiduis humectat lumina guttis:
Nil animum recreare potest, periuria quippe
Fatalis recolit noctis, versatur et usque
Ante animum praesens Christi patientis imago,
Foedataeque genae pallentiaque ora, revinctae
Fune manus, ictusque oculi, qui more sagittae
Percellit subitae post tot promissa negantem:
Et quoties memori gallus cantu adsonat auri,
Sive dies niteat seu nox adduxerit umbras,
Haud quidquam potis est tantum lenire dolorem.
Nunc quoque corda premunt turpis spectacula divae,
Queis magis inferno se subdit Roma tyranno.
Mane etenim floralem illo plebs romula Circum,
Aprili cedente instent quum tempora maii,
Turmatim approperat ludos visura nefandos.
Auditur procul adventantum, ceu mare tuscum
Mugiret, strepitus clamorque auditur ovantum.
Haec prisci statuere patres spectacla, sibyllae
Admonitu, sic fama refert, quum laeta virescunt
Rura et odoratis adolescunt floribus horti;
At vetus urbs mores sensim corrupit avitos,
Et ruit in peius. Tristis meretricula Chloris,
Quod quaestu infando multum congesserat auri
Lusibus his dedit: hinc exorta licentia vulgi
Obscenique ioci, choreae saltusque procaces
Et mimae, roseis praecinctae tempora sertis,
Lascivo curas animis succendere cantu.
Haec effrena deae praetexunt nomine Florae,

Hinc amens plausus, fremitus turpesque cachinni;
Et Petro largis humentia fletibus ora.
Eia age, sancte Senex, tua nonne piacula Christus
Exolvit miseratus? alis cur pectore vulnus,
Te memori excrucians luctu? iam fassus amorem
Ter, tu sideream reseras mortalibus aulam,
Fungeris et terris Christi vice, maximus orbis
Namque regis tu Pastor oves oviumque magistros.
Turpia quaeque animum Florae certamina torquent,
Te duce, iam cessant: meliori sorte quotannis
Intemerata tuis et dulcia festa parantur.
Tempus erit, mens iamque videt, quo, Parthenis alma,
Rite tibi sacer hic mensis nitidissimus anni:
Per fora perque vias, passim per templa domusque
En tua, Virgo Parens, pulcherrima fulget imago
Innumeraeque ardent cerae, circum insonat aether
Cantibus et vario nectuntur flore corollae;
Donec et omnigenos effundit maius odores:
Splendidior renovatur honos, tibi lilia pubes
Offert et puro puros de pectore sensus.
Exoritur rerum novus ordo e semine sancto,
Vivida succrescit virtus moresque pudici.
Interea exquilias ingressus Onesimus aedes,
Facta refert graviora; avidis quisque auribus haurit.
Ipse modo obscuro seclusum carcere Paulum
Conveni; egrediens mussantem murmure plebem
Complentemque forum circumque palatia cerno.
Qui rumor, quaero; nostris e fratribus unus
Caesareaeque domus mihi devinctissimus, inquit:
Mercato tumidus plausu immeritisque coronis,
Litore ab argivo Nero dum remearet ad Urbem,
Ingenti comitum turba centumque carinis,

Actutum nimbo caecisque obducta tenebris
Unda fremit stridetque atris aquilonibus aequor.
Nubibus electro gravidis vis ignea vasto
Erumpit tonitru, furiatis carbasa ventis
Abrepta, effracti nantes in gurgite remi.
Ipse Nero, puppi nequidquam tectus ab aurea,
Fluctibus abripitur, forsan nunc piscibus esca,
Aut nudum ignota proiectum corpus arena.
His dictis stupuere; imo fiducia cunctis
Corde manet demum tantum effugisse tyrannum.
Principio mites mentitus pectore sensus,
Quid non horrendi posthac est criminis ausus?
Monstrum immane, atrox, uno quod sanguine gaudet,
Qualis in hyrcana tigris saevissima silva.
Persentit Burrus, cui nil praetoria prosunt
Munera, nec sollers animus; persentit et ille
Annaeus, iuveni ingenuas qui tradidit artes.
Quin ipsam in matrem saevit, nec perdere leto
Exhorret, thalamumque infanda caede cruentat.
Hanc Deus avertat pestem: sic quisque revolvit.
Maximus at Pastor, Pauli quem cura lacessit,
Hic quid agat, quaerit, praesens et Onesimus inquit:
Vinctum vidi illum secura mente sedentem
Saxa super, Mamertini qua carceris antrum
Inferius patet atque aeterna obvolvitur umbra,
Oscula ferratis libantem saepe catenis:
Nil olli nam maior honos quam vincula Christi,
Atque ait: Ecquid ego moror? hac compage soluta
Discupio tandem Christo coniunger uni.
Namque meo quid me poterit divellere Iesu?
Me nullae aerumnae, me nulla incommoda vitae,
Me neque dira fames unquam, nec tristis egestas,

Nec gladius capiti impendens: devota securi
Victima iam sacris, veluti pecus, immoler aris.
Explevi cursum terris, cur demoror ultra?
Christus adest aequus, sertum immortale daturus.
Haec animos verba incendunt: custodia quotquot
Caeca tenent, vellent pro Christo fundere vitam;
Nec tormenta tremunt; quos inter miles uterque
Processus Sociusque ducem te saepe patremque
Commemorant, ambo lustrali flumine tincti,
Quum miranda cavis scatuit de rupibus unda.
Petrus ad haec sanctum cuperet magnumque laborum
Amplecti comitem vinctumque invisere, Paulum:
At frustra; nam iussa arcent durusque satelles.
Attamen haud segnis divinoque actus amore,
Christiadas persaepe suos visurus adibat.
Nunc et Aventini conscendit culmina collis;
Priscillae hic Aquilaeque domus, duo nomina Paulo
Cara nimis; flavi tranat nunc Tibridis amnem.
Hic vallis satis ampla iugi radicibus aurei,
Fictilibus quum molle lutum det terra, camini
Incensi late fumant, manus impigra plebis
Urceolos fingit lateresque instatque labori;
Haud spernit bonus ille casas, humilesque tabernas
Ire lubet, docet ignaros solatur et aegros.
Excipiunt venientem hilares et pluribus urgent.
Nunc quoque Lucinae sedes invisit amicas;
Hic pia gens Christum veneratur vinclaque Pauli
Commemorat laticesque eruptos cautibus haurit.
Nec vos praeteream, celebris loca devia cryptae,
Ostria, sic fama est, cui gens cognomina fecit,
Petrus ubi sancto tinxit nova germina fonte.
Huc Christum quicumque colunt, se ferre solebant,

Religionis enim Romae cunabula nostrae.
Hos inter multi, supremae Caesaris aulae
Quamvis addicti, sacris conventibus ibant.
Graius Alexamenos Libanusque comesque Corinthus,
Aetatis qui vere meum sectantur Iesum,
Egregii forma, mage sed virtute decori
Et puros servant tanto in discrimine mores.
Nil trepidant, non effrenae convicia pubis,
Impia nec graphio conscripta in pariete signa;
Sic Daniel, sic tres capti Babylona trahuntur
Hebraei iuvenes, fastum sed mente tenaci
Assyrium spernunt mensamque et mollia vina,
Ne patrias violent leges divinaque iura.
Pastoris tamen ille boni dum munia praestat,
Parte alia Simo (quem Satan invidus osor
Humani generis sibi finxerat), arte nocendi
Expertus magicisque dolis, nil fraudis omittit,
Ut nova Christigenae corrumpat semina plebis.
Excoluit docta Samarites urbe Canopi
Ingenium studiis illustribus: impia sed mens,
Infandi mores animusque vaferrimus, audax.
Hic Petrum iampridem adiit, iam flumine sacro
Ablutus, pretioque dari sibi dona poposcit,
Horrendum dictu! tribuit quae Spiritus almus.
Infernae, Petrus scelus indignatus, abyssi
Sint tibi, ait, coeno terrae qui munera caeli
Grandia mercaris, tua teque pecunia perdat.
Ceu coluber, pedibus pressit quem forte viator,
Caerula colla tumet, se seque volutat in orbem,
Et saniem eructat, linguam et vibrat ore trisulcam:
Haec ita Simoni figuntur corde sub imo,
Iram acuunt, fovet et miser immedicabile vulnus.

Tunc ardens odiis patrio de litore cedit,
Romam vertit iter, superum se germine cretum
Virtutemque Dei iactat, cantamine ditis
Artibus ac magicis hic vulgus mobile fallit.

En igitur tota rumor percrebuit urbe,
Prodere mira virum, nec visa Quiritibus unquam.
Nunc liquidas pedibus siccis transire per undas
Tibridis aut celeri nubes enare volatu,
Nunc medii ferri flammis, ceu mollia campi
Gramina calcaret, quin vestes fervidus ignis
Attingat speciemve obscuret fumidus aer.
Quaque lubet potis est mortales fallere forma.
Nunc colubri facie spiris ingentibus agros
Metiri, fulvisque iubis rictuque leonis
Immani terrere feras fremituque furenti.
Prosequitur cupida rerum miracula mente
Imprudens vulgus, visu et versatur inani.
Cuncta stupet clamatque olli parere iubenti
Numina quotquot habet phlegeton et quotquot olympus:
Mussitat, et summo Simonem e germine divum
Prognatum: quin forte etiam de sedibus altis
Ipsum hominum superumque patrem nunc visere Romam.
Nec tamen una tenet plebs haec, sed qui vice regis
Ipse Tigellinus populi moderatur habenas
Simoni obsequitur, magica si forte iuvari
Arte queat, siquidem formosam deperit Aeglen,
Nec, quid speret, habet, nam virgo repellit amantem.

Filiolas inter, peperit quas Petrus Iesu,
Aegle erat, et meritis et virginitate decora.
Finibus assyriis genuit Xantippus, et ipse
Sectator Christi, quo tempore Spiritus almus
Orantem implevit Solymae ad Cenacula coetum,

Atque ignes visi cervicibus incumbentes.
Ora Petrus solvit: proprio sermone loquentem
Quisque stupet, tingunt hominum ter millia lymphae.
Ergo Xantippus sterili cum coniuge vitam
Tristis agens, precibus superos votisque fatigat
Ut tandem optatae donent sibi munera prolis,
Adiungique Petro spondet sanctaeque catervae.
Annuerunt superi: casti fit pignus amoris
Aegle, dulcis amor, dulcissima cura parentum.
Tum quoque, cum teneris crescens pubesceret annis,
Nil gessit puerile, domus sed parte reposta
Sola latens, hominum refugit consortia virgo.
Interea Petro Solyma qui cesserat urbe
Xantippus comes it Romam, nec pignore dulci
Avelli patitur: gnatae novere Pudentis,
Iunxerunt Aeglen prae aliis sibi foedere amoris:
Nam virtute pares, quidvis mortale perosae,
Intemerata petunt sponsi connubia Christi.
Forte Tigellinus peragrantem rure puellam
Viderat, obtutuque amens immobilis haesit,
Formosa captus specie; tum corde sub imo
Exarsere ignes, ingentique uritur aestu.
At nil blanditiae prosunt, nil dona minaeque,
Illa oculos aversa tenet, nec flectitur ulla
Arte doli, solos quaerit pudibunda recessus;
Liquitur in lacrimas sponsumque exoptat Iesum:
Qualis inaccessae secreta foramina rupis,
Accipitrem fugiens, petit occuliturque columba.
Ergo Tigellinus Simonem his occupat aeger:
Simo, meum, Simo, toties qui expertus amorem,
Care o Simo mihi ante omnes, solare dolentem;
Uror ego infelix nimium noctuque diuque,

Nulla quies animo est, mihi nec suprema potestas
Quae datur imperii, nec opes, nec turba clientum
Corda levant, miseram cuperemque abrumpere vitam.
Ergo agedum magicamque artem vimque exere totam
Ut quam depereo tandem mea vota secundet.
Tum contra ille: Labor mihi pertentare quod optes
Dulcis erit, sic nostra iuvent cantamina ditis.
Dixerat: et densis Capitoli in vertice lucum
Arboribus nigrum petit: hic horrentia lethes
Numina suetus erat scelerato arcessere cantu.
Asmodaeus adest promptus: foedissimus osor
Ille pudicitiae funestos excitat ignes,
Exagitat visis turpique cupidinis aestu.
Ille Tigellini lasciva facessere coepta
Aggreditur, cellamque Aegles contendit inique;
Quae Regem superum tollens ad sidera palmas
Orabat pacem; prope custos Aliger ensem
Fulmineum vibrat clypeoque tuetur amico:
Tum celer ille fugit, nec enim foret ulla potestas
In Christum, et vano Satan incumberet ausu.
    Dum vero fallax vulgus mutabile ludit
Coniector, portenta Dei virtute facessit
Vera Petrus: vano Samarites carpitur astu,
Vulnus alit venis et viscera livor adurit.
Ut Mambres Iannesque Aegypti regis ad aulam
Erubuere, ausi Mosi contendere signis;
Haud secus ille novo demens certamine Petro
Insultat. Caecae tam dura superbia menti!
Namque hominum morbos, quotquot sunt, vincere iactat.
Faucibus et mortis raptos revocare sub auras.
    Interea iuvenis fato consumptus acerbo
Occidit; immenso turbatur percita luctu

Ipsa Palatini sedes gemituque remugit;
Tam carae vitae studium atque amor omnibus unus,
Mens non una tamen: Simonem arcessere patris
Corde sedet, matrisque uni fiducia Petro.
Conveniunt ambo: primos deceptor honores
Arripit, effrenis opibus qui fisus averni,
Omnia pertentat; sed nil cantamina, sed nil
Verba iuvant; iacet exanimum sine lumine corpus.
Tunc urit rabies animum, tunc vertice crines
Viperei arrecti, color immutatur et oris:
Iratus sibimet dis ac iratus avernis,
Ore fremit tacito totumque acheronta lacessit.
Haec inter sed enim Petrus sub corde precatus,
Ne falli Omnipotens turbas sinat, impia perdat
Consilia et turpes ausus. Ac deinde iacentis
Arrepta dextra, Tibi Iesus imperat, inquit,
Surge puer. Mirum! subito pallentia dicto
Ora rubent, superae reserantur lumina luci,
Exilit alloquiturque suos: stupor occupat omnes.
Tum subit et populi fremitus, tum sibilus alte
Tollitur, ut pleno quando si mima theatro
Erraret, gliscitque furor, iam saxa parantur
Et fustes: meritae dentur sic praemia sortis.
Simo fugit trepidans, pedibus pudor addidit alas
Et dolor, immanem seseque effundit in iram.
Petrus at extentis pacata silentia palmis
Indicit, turmas sedat, paucisque profatur:
Parcite, nec misero succendite, non mea virtus
Efficit haec: homini naturae haud vincere vires
Posse datum, Iesus et Iudae et gentibus unus
Omnibus ipse Deus (supplex in vota vocavi)
Affuit, et mortis victor, miracula rerum

Prodit, et huic rursum iuveni dat vivere vitam.
Dixerat: et coetu confestim et sede Palati
Secedit, faciles Petrus ut devitet honores.
Portenti totam velox it fama per urbem;
Audivere sati Iuda, audivere Quirites.
Hos inter legis Mosis servator avitae,
Gamaliel, noctu Petrum incomitatus adibat,
Multa agitans animo. Hic, Scribarum turba tumultu
Quum Solymae in proceres fureret, quod Flamine dio
Incensi, Christi ius et praecepta docerent,
Attonitae edentes rerum miracula plebi;
Sic ait: O socii, quidnam virgamque necemque
Intentate viris? Deus his si talia praestat,
Nil poterit prohibere, et nisu obstatis inani;
Sin aliter, res ipsa cadet: memorate Theodam
Et Iudam memorate: adverso Numine iactant
Nusquam audita: vapor tenuem ut vanescit in auram,
Sic abeunt, nil et prodest, quin unus et alter
Deceptor diro meritas dant funere poenas.
Ergo Gamaliel, Romae quum forte maneret,
Multa super Iesu rogitans factisque novorum
Christiadum, dictis Petrum compellat amicis.
Comiter ille senem amplexus gratatur, et infit:
Scis bene quanta Deus dederit (tu namque magister),
Isacidum generi: captivi vincula solvit
Per monstra, et phariis ereptum ex hostibus undas
Transtulit in medias sicco pede, pinguia tandem
Post varios casus tribuit Chananitidis arva.
Et quatuor denis infidos pertulit annis
Abramidum mores, quamquam, duce et auspice Mose,
Et leges ferret sanctas et iura sacrorum.
Quin sub iudicibus quina et per saecula nostros

Ipse regit patres Deus, et nova foedera pangit.
Quaesiti subeunt reges, hos maximus inter
Iessides, cithara insignis, qui carmine sacro
Servatorem hominum, delapsam e sedibus altis
Progeniem, canit, atque inopis quae taedia vitae
Quotque foret diros mortis passura dolores,
Tergeret ut labes omnisque piacula gentis:
Regali Iessidae etenim de semine magnam
Venturam Sobolem, decus et tutamen Iudae.
Sic patribus promissa dabant, sic praescia vatum
Omina, sic Baptista, Deus quem praetulit ipse
Omnibus, ut natum tandem mortalibus aegris
Proderet Assertorem hominum Auctoremque salutis,
Et fulgere novae terris primordia lucis.
Sed Iudas caecis tenebrarum obvolvitur umbris:
Heu miser innocuum crudeli funere perdit!
At Christus tumulo devicta morte resurgit,
Ut vates cecinere sacri; nos vidimus ipsi
Vitales spirantem auras, et lumine dio
Aligerumque choros inter conscendere caelum.
    Talia dum relegens, divina volumina Petrus
Evolvit, Deus almus adest et pectora versat.
Gamaliel, plures Iudae quem deinde secuti,
Lustrales per aquas Christi accensetur ovili.
    Dum studet his Petrus, turbatur Roma repente
Ingenti rumore: Nero iam moenibus astat.
Incolumis sed enim graio de litore Caesar,
Ut victor, patriis appulsus finibus Anti,
Venerat Albanum et muros accesserat Urbis.
Qua cursu brevior mitisque obmurmurat Almo,
Constitit, Augusti currum conscendit et albis
Carpit iter subvectus equis simulatque triumphum.

Centum fama tubas vix inflat, sede relicta
Visendi studio praeceps ad moenia tendit
Mixta senum puerumque manus matresque nurusque
Patriciique viri primoque ex ordine cives.
Tum subito extructis surgunt nova pegmata lignis,
Et festae moles sinuatae fornicis instar,
Tecta coronantur sertis et flore fenestrae.
Ille Urbem ingreditur, fidium clangorque tubarum
Personat et colles circum vallesque resultant:
Purpura vestis erat, flammeis chlamys aurea stellis,
Pythia serta gerens dextra, cervice revincta,
Qualis olympiaco rediens e pulvere victor.
Anteit turba procax iuvenum sequiturque canentum,
Praemia quanta Nero ludis retulisset achivis:
Isthmia, clamat, io, vicit spectacula, vicit
Et nemeaea, novus terris tyrinthius heros
Aut praeclara Iovis soboles aut magnus Apollo.
Ordine tum tituli praeeunt centumque coronas
Ostendunt, citharave iocisve et carmine partas.
Interea circi fornix ruit ariete pulsus:
More triumphantis, via sic pandetur eunti.
Et graecus rheda vectus citharoedus eadem
Flectitur interdum supplex ante ora tyranni;
Gesta canit laudesque, beati et numen adorat.
O Nero, fama ingens, ludisque ingentior actis,
Queis tollam numeris, queis caelo laudibus aequem?
It qua Velabri via sternitur, itque Palati
Qua regio patet, immensum ruit undique vulgus,
Utque salum fervet vicis plateisque foroque;
Hic italae calcantur opes, calcantur honores,
Hic Arabum Cilicumque et quos Panchaia dives
Huc mittit segetes, quae molles tura Sabaei;

Purpura per vicos sparsa est, cadit hostia divo
Multa incedenti, redolentque vaporibus arae:
Et claustris laxantur aves volitantque canorae;
Semine patricio pueri lectaeque puellae
Prognatae, ducunt choreas et compita spargunt
Verbenis violisque et puniceis lemniscis.
Sic iter, ac tandem reseratur Apollinis aedes.
  Sed laeto Nero corde tumet gestitque triumpho,
Ac sibi mortali maior iam sorte videtur.
Hinc animi sueta paulum feritate remissa,
Regali accumbit cenae, thalamoque superbo
Excipitur: circum laeva dextraque frequentes
Convivae explentur dapibus donisque lyaei,
Saepius et magno divum clamore salutant;
Ille novas miscet pateras, simul impiger haurit,
Procumbat multo donec temulentus iaccho.
  Sed Romae qui Petrum odio insectantur iniquo,
Exacuunt iram atque insontem perdere tentant.
Ergo Tigellinus, fraudum fabricator, et una
Aelius ille, necis scelerumque vaferrimus auctor,
Conveniunt, primus Simo, qui germine cretus
Iudaeo, tantum in Cepham conceperat ignem,
Tempore quo Samarita suos cantamine cives
Monstris ludebat rerum et fallacibus umbris.
Sed victus tandem petit altae moenia Romae,
Deserit et patriam, fata haud meliora secutus.
Hi furto inter se coeunt tenebrosaque versant
Consilia: heu stultae mentes et pectora caeca!
Nunquam supremo fas est obstare Tonanti.

ADNOTATIONES

V. 13 *Exquilias inter etc.* — Domus Pudentis Senatoris, in qua S. Petrus longo tempore commoratus est, sita erat, iuxta id quod refert Liber pontificalis, ad vicum Patricium inter colles Exquilinum et Viminalem, ubi nunc extat ecclesia, S. Pudentianae dicata a S. Pio I, titulo Pudentis et etiam Pastoris.

V. 15 *Vexatusque feris etc.* — Iuven. Sat. III, v. 69. — Horat. I, Sat. VIII, vers. 8 et seqq.

V. 28 *Quemque, auctore Petro etc.* — S. Petrus totam Pudentis familiam sacro baptismate lustraverat, scilicet eumdem Pudentem, eius uxorem Claudiam Sabinillam, duos filios Novatum et Timotheum ac duas filias Praxedem et Pudentianam.

V. 33 *Hic . . . . . . sella sublimis eburna etc.* — Haec est Cathedra, quae nunc ad Vaticanum colitur, quaeque frequenti populo, quum anno MDCCCLXVII solemnia saecularia celebrarentur, multos per dies exposita est.

V. 39 *Conveniunt . . . . . . Cletusque Linusque etc.* — S. Linus, Cletus, Clemens, qui Petro in suprema Pontificis sede successerunt.

V. 42 *Eubulus etc.* — S. Paul. II Tim. IV 21: Salutant te Eubulus et Pudens et Linus et Claudia.

V. eod. . . . . . . *bini et etc.* — Filii Pudentis.

V. 43 *Affuit et Torpes etc.* — Martyrolog. rom. die 17 maii: S. Torpes Mart., qui magnus in officio Neronis primum fuit, unusque ex his, de quibus Paulus ab urbe Roma ad Philippenses scribit: Salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de Caesaris domo sunt.

V. 44 *Et quoque Alexamenos etc.* — Horum nomina recenter in quibusdam Palatini cellis graphico charactere in parietibus insculpta reperta sunt, adiunctis christianis nominibus ac signis, ex quo docti viri autumarunt ibidem Imperatoris paedagogium fuisse, inque ephebis christianos iuvenes quoque esse. Garrucci (Graffito blasf. al Palatino), - Civ. Catt. Ser. V, Vol. 9 - De Rossi (Bullett. Archeolog. settembre 1863).

V. 52 *Indutae, matrumque manus devota etc.* — Uterque sexus separatis in locis sacris caerimoniis astabat.

V. 54 *Dives Anastasia etc.* — Martyrolog. rom. 15. aprilis: SS. Basilissa et Anastasia, Apostolorum discipulae, feminae nobiles, quae constantes in fide sub Nerone passae sunt.

V. 55 *Et. . . Plautilla etc.* — Creditur fuisse e gente Flavia. Bar. an. 69, n. 9 et seqq.

V. 73 *Obtectae, assimiles arcae tolluntur et arae.* — Forma haec fuit vetustiorum altarium, praesertim tempore S. Petri, quum propter persecutiones Pontifices certo loco consistere non possent: istiusmodi altare ligneum ad arcae similitudinem concavum ad Lateranum asservatur religiose, et in illo Princeps Apostolorum sacrificasse dicitur.

V. 85 *Interea pia turba etc.* — Antiquissimus Ecclesiae mos munera deferendi Pontifici sacrum facienti.

V. 108 *Ipsemet haec monuit etc.* — S. Matth. Cap. XII, vers. 40: Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.

V. 113 . . . . . . *templum, Si solvitis etc.* — S. Ioann. Cap. II, vers. 19: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

V. 139 *Haud aliter, dum nos etc.* — S. Matth. Cap. VIII, vers. 24-26: Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat . . . . . . Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

V. 158 *Credite, vera loquor etc.* — Matth. Cap. XVII.

V. 194 *Decurrunt unguenta etc.* — Psal. CXXXII, v. 2: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

V. 212 *Aequicolis Marcus etc.* — Martyrol. rom. 28 aprilis: Atinae Sancti Marci, qui a Beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, primus evangelium praedicavit Aequicolis, et sub Domitiano passus est.

V. eod. . . . . . *Campanis praesit et Aspren* — Martyrol. rom. 3 augusti: Neapoli in Campania Sancti Aspren Episcopi, qui a S. Petro Apostolo ab infirmitate curatus et deinde baptizatus, eiusdem civitatis Episcopus ordinatus est.

V. 213 *Veronae Euprepius* — Martyrol. rom. 21 augusti: Veronae S. Euprepii Episcopi et Confessoris.

V. eod. . . . . . . *Lucae Paulinus* — Martyrol. rom. 12 iulii: Lucae in Tuscia Beati Paulini, qui a S. Petro eiusdem civitatis Episcopus ordinatus, sub Nerone ad radices Montis Pisani passus est.

V. eod. . . . . . . *ad oras Ticini Syrus.* — Martyrol. rom. 9 decembris: Papiae S. Syri, primi eiusdem civitatis Episcopi, qui apostolicis signis et virtutibus claruit.

V. 214 . . . . . . *Tusci te, Romule etc.* — Martyrol. rom. 6 iulii: Faesulis in Tuscia S. Romuli Episcopi et Martyris discipuli B. Petri Apostoli.

V. 215 *Pancratium Siculi.* — Martyrol. rom. 3 aprilis: Tauromenii in Sicilia S. Pancratii Episcopi, qui Christi evangelium, quod a S. Petro Apostolo illuc missum praedicaverat, martyrii sanguine consignavit.

V. eod. . . . . . . *cui nomen Apollo etc.* — Martyrol. rom. 23 iulii: Natalis S. Apollinaris Episcopi, qui ab Apostolo Petro Romae ordinatus et Ravennam missus, pro fide Christi diversas et multiplices poenas perpessus est: postea in Aemilia evangelium praedicans, plurimos ab idolorum cultu revocavit; tandem Ravennam reversus, sub Vespasiano Caesare martyrium consummavit.

V. 232 . . . . . . *Floralia Circi.* — Circus Florae, ubi ludi florales habebantur, iuxta Ovid. Fast. lib. 5 vers. 185, exeunte mense aprili et maio incipiente. Circus hic non longe erat a domo Pudentis.

V. 247 *Nunc quoque . . . . . . turpis spectacula divae.* — Ioci obsceni. Martialis Epigr. lib. I et alibi — Arnobius adversus gentes lib. III — Minucius felix in Octavio etc.

V. 287 *Interea . . . . . . ingressus Onesimus etc.* — Servus Philemonis, ad quem S.

Paulus epistolam miserat, in qua quanto amore ipsum Onesimum prosequeretur, apertissimis verbis ostendit.

V. 294 *Mercato tumidus etc.* — Romae rumor fuerat Neronem ex Achaia, publicis ludis habitis, redeuntem naufragium fecisse.

V. 311 *Persentit Burrus etc.* — Burrus, praetorii praefectus, et Annaeus Seneca, ab Nerone interfecti.

V. 314 *Quin ipsam in matrem etc.* — Interfecit etiam matrem et uxorem.

V. 325 *Discupio tandem Christo coniungier uni etc.* — S. Paulus ad Philipp. Cap. I, vers. 23: Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.

V. 327 *Me nullae aerumnae etc.* — S. Paul. ad Rom. cap. VIII, vers. 35 et seqq. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? etc.

V. 331 *Explevi cursum etc.* — S. Paulus ad Timot. II, cap. IV, vers. 7: Cursum consummavi, fidem servavi.

V. 336 *Processus Sociusque etc.* Martyrol. rom. 2 iulii: Processus et Martinianus a Beato Petro Apostolo in custodia Mamertini carceris baptizati et sub Nerone passi.

V. 344 *Nunc et Aventini etc.* — Hic fuit domus Aquilae et Priscillae, in qua Paulus commoratus est, ubi nunc extat templum, S. Priscae dicatum.

V. 346 . . . . . . *flavi tranat nunc Tibridis amnem.* — In regione transtiberina habitabant Hebraei, quos inter plures iam gregi Christi adnumerabantur. Tunc temporis figulinae quoque erant in ea valle prope Ianiculum, ut etiam nunc videtur.

V. 354 *Nunc quoque Lucinae etc.* — In loco, ubi nunc extat templum S. Mariae in via Lata, Paulus commoratus est in vinculis. Act. Apost. Cap. XXVIII, vers. 16-31, ac per aliquod tempus etiam S. Petrus, atque hinc dicitur S. Martialem in Gallias misisse.

V. 357 *Nec vos . . . . . cryptae, Ostria etc.* — Coemeterium ostrianum prope viam Nomentanam, haud procul ab ecclesia S. Hagnes, omnium antiquissimum ac celeberrimum, ubi traditum est Petrum baptizasse.

V. 369 *Impia nec graphio conscripta etc.* — Vide superius adnotationem vers. 44: Et quoque Alexamenos etc.

V. 375 *Parte alia Simo etc.* — Simo hic fuit magus e Giton in Samaritide, iuxta nonnullos. De hoc in Act. Apost. Cap. IX, vers. 43 et Cap. X, vers. 6, 17, 32. Vide Calmet-Diction. S. Scripturae etc.

V. 416 *Ipse Tigellinus populi etc.* — Tigellinus absentis Neronis Romae vice fungebatur.

V. 427 . . . . *tingunt hominum ter millia lymphae* — Act. Apost. Cap. II, vers. 41: Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.

V. 481 *Ut Mambres Iannesque etc.* — S. Paulus II ad Timoth. Cap. III, vers. 8: Iannes et Mambres restiterunt Moysi.

V. 487 *Interea iuvenis fato etc.* — Pacianus hoc factum refert. Epist. II.

V. 527 *Gamaliel, noctu Petrum etc.* — Act. Apost. Cap. V, vers. 34 et seqq.

V. 544 *Scis bene quanta Deus etc.* — Act. Apost. Cap. XIII, vers. 17. et seqq. Verba haec, quamquam referantur prolata a S. Paulo Antiochiae Pisidiae, quum in Synagoga disputaret, Poeta tribuit Petro, eadem enim erant argumenta ad hebraeum Gamalielem in fide Christi edocendum.

V. 579 *Incolumis sed enim graio etc.* — Svet. § 25. Triumphale iter Neronis scite describit.

V. 611 *It qua Velabri via etc.* — Svet. loco cit. — Vide etiam doctas adnotationes, quas clariss. Vir, Auctoris amicissimus, Ioannes-Iosephus Franco e Societate Iesu, apposuit aureo illi libello, cui titulus: Simon Pietro e Simon Mago, Leggenda: qui et ideam huius carminis et plura suggessit.

PETREIDOS

LIBER SECVNDVS

ARGVMENTVM

Simo Magus multis praestigiis Neronem allicit, ut facilius Petrum e medio tollat. Tigellinus atque Aelius ex condicto superveniunt, atque iram Neronis in Petrum et Christicolas acuunt. Nero secreto illis aperit animum suum de Urbe incendenda: id quod ipsis arridet; nam de ea clade Petrus et Christiani facile accusari posse videntur. Dum ad tantum facinus rem omnem parat, Christiani benefactis operam navant. Interea Urbs inceditur, utque a se Nero immanissimi huiusmodi facinoris odium avertat, Christianos auctores fuisse insimulat: inde maxima illorum caedes tum Romae tum alibi fit. Petrus, licet invitus, aufugit; sed, Christo sibi occurrente in via, redit certus mori. Satan Simoni fugam Petri patefacit, eumque excitat, ut, adhibitis sociis Tigellino atque Aelio, Neroni persuadeat excidium supremum sectatorum Christi. Ea ipsa nocte qua Petrus fugit, Romam venit ad domum Pudentis Cornelius, centurio cohortis Italicae, qui miratur Petrum aufugisse, eiusque praeclara facta in Oriente enarrat. Interea Nero furiis agitatur in sua aurea domo, et Poeta ei mortem, quam sibi ipse mox inferet, praedicit.

Lucifer interea dimotis axe tenebris
Cesserat, et surgens aurora reliquerat aequor
Primaque purpureo spargebat lumine terras.
Ecce palatinas aedes aulamque Neronis
Simo petit, siquidem regi nil carius illo,
Cui statuit simulacra et dios addit honores:
Miraturque magi ritus horrendaque rerum
Prodigia, atque eadem optaret se prodere signa.
Infantem tabula excusum coniector habebat,

Quo monstro miranda facit: nam plura iubenti,
Ut fallant genus infelix, stygis agmina parent.
Non terrae finxisse luto, verum aethere caeli
Se puerum aiebat, quem post virtute peremptum,
Nam potis ipse, sua, in tabulam mutarat eamdem.
Hanc gerit ille manu regemque invisit, et aulam
Dum peragrant simul, en subito simulacra moveri
(Haec deceptor enim visu fingebat inani)
Vivaque saxa loco cernuntur et obvia regi
Inclinare caput: vel, dum spatiantur in hortis,
Robora convelli totumque tremiscere collem:
Nunc solem obduci nebulis, nunc sanguine tingi
Et lunam pallere, sereno et fulgura caelo
Accendi tonitruque solum mugire profundo.
At si regali sit fas accumbere mensae,
Convivas Simo ludis et imagine laeta
Decipit: extemplo zephyri volitantibus alis
Aspirant, iuvenumque leves circum undique formae
Succinctae apparent zonis et vestibus albis,
Plenas expediunt pateras cyathosque ministrant.
Ipse iubet, ventis tenuique simillima somno
Omnis abit species, ceu vanus in aethera fumus.
Dum stupet haec Caesar, leges artemque doceri
Exoptat, magna et Simoni praemia spondet.
Conceptum hic dictis tandem vomit ore furorem:
Dive Nero, si te tangunt mea vota precesque,
Quandoquidem bonus et me lumine conspicis aequo,
Improbus ah! pereat Galilaeus, qui ferus astu
Me miserum dudum exagitat, nec finibus ullis
Sistere securumque sinit deducere vitam.
Ille Palaestinae patrio de litore primum
Cedere me cogit vasto et confidere ponto.

Incertumque vagumque, Iovis sed numine tandem,
Post exantlatos terraque marique labores,
Excipit attritum defessumque hospita Roma.
Felix Roma! tuis nunc grandibus aucta coronis,
Quam regis imperio pacis, tutaris et armis.
Sed quid ego? premit ille eadem vestigia et acri
Insectatur adhuc odio: tu, maxime princeps,
Tu mihi sis numen, nec me patiaris inultum,
Namque potes. Simo loquitur dum talia, regis
Tecta Tigellinus subit, et comes Aelius olli
Atque una vafer ille animi Polycletus iniqui.
Caesaris hi stimulant iras, probrisque gravantes
Petrum et Christigenas, acuunt fera corda tyranni.
Hoc erat, o princeps, aiunt, quod tanta quietae
Seditio plebi nostrae impenderet et urbi:
Hinc tu praecipitas reditum, subitoque triumpho
Gestit Roma suum amplecti patremque deumque.
Nam vilem quae secta ducem veneratur, Iuda
Prognatum, Cepham galilaeo nomine dicunt,
Irrequieta, fremens agitur, renuitque Quirino
Subdere cervices et miscet cuncta tumultu.
Claudius hanc pestem nostris e finibus olim
Expelli iussit, sed opus ferrove vel igne.
Haec tua, magne Nero, res est; id numina poscunt.
His Nero succensus fremit, at graviora volutat
Immanis, paucisque animi secreta recludit:
Audite, o vestro fidissima pectora regi,
Arcanum, quod mente agito, nullique patescat.
Augustam veteremque Urbem succendere flammis,
Ut nova et aggestis exurgat pulcra ruinis,
Nomine clara meo, iamdudum corde revolvo.
Ergo, viri, vosmet magnis intendite coeptis,

Tantum opus instruite: haec etenim mea certa voluntas.
Eia agite, haud mora sit. Sceleri manus impia plaudit;
Vertet enim cladem in sanctos; noctisque per umbram
Nutrimenta parant igni atque immitibus ausis.

Dum tantam fera gens pestem molitur in urbem,
Christiadum, quos iungit amor, benefacta sequuntur.
Ipse Pudens cunctos anteit, geminaeque sorores,
Quae certant miserae nullo discrimine plebi
Auxilium conferre et opem; viduaeque puellaeque
Infantesque domus, tablina atque atria complent.
En et Praxede simul atque Pudentia et Aegle
(Libertae subeunt) cererem frugesque paratas
Expediunt hilares, dulcissima verba locutae.
Et dives Lucina aequo pauperrima pulsat
Tecta pede, atque aegros leni medicamine mulcet
Et comi levat alloquio, quin ulcera tractat
Ipsa, sui victrix, et plagis oscula figit.
Huic sese comites Basilissa et Anastasis addunt
Et Plautilla, operum nulli pietate secunda.
Hae Iani peragrant collem circumque Neronis,
Transtiberim et vicos, puerosque parentibus orbos
Tutantur, vigili perfunctae munere matrum:
Esuriem recreant dapibus, nudataque veste
Membra tegunt inopum refoventque infirma, nec horrent
Sordentes scabie caput et porrigine foeda:
Et si cultorum Christi novus advena Romam
Perveniat, plantas tergunt mensamque ministrant:
Nil mage sollicitae quam saepe invisere fortes
Athletas vinclis strictos et carcere tetro,
Et solari aegros, duros lenire labores
Omnigenasque ultro miseris impendere curas.
Fasciolas, unguenta parant, et balsama crudis

Lenimen plagis; tortor nec barbarus illas
Deterret, nec mors; heroas corde secutae
Magnanimo recreant, absumptis iustaque solvunt.
Haec bona Christiadum: sed plebs effrena Quiritum
Nil nisi circenses cupit et cerealia dona,
Nescia quae capiti clades, quaeque horrida fata
Instent; arbitrium sic fert crudele tyranni:
Quandoquidem infensum Satan mortalibus aegris
Quis neget assimilem sibimet finxisse Neronem?
Felicem aiebat Priamum, quod viderit ipse
Eversam gentem et regalem funditus urbem
Consumptam flammis Teucrorum extinctaque regna.
Nox erat; et nil triste timens urbs tota quietos
Captabat somnos; quum dira facessere iussa
Incipiunt taciti pacta mercede ministri.
Hic alii sarmenta ferunt sulphurque picemque;
Hic alii rapiunt ipsis penetralibus ignem
Coniiciuntque faces, et segnes Aelius urget.
Parte Tigellinus diversa congerit aere
Multa cavo, facilem prunis flammantibus escam,
Et stuppam taedasque parat: Polycletus et agmen
Conscius et Simo iungit. Tum nota tyrannus
Dat signa e turri, subitoque ad sidera fumus
Erigitur laxisque furit vulcanus habenis.
Haud aliter si forte faces flaventibus arvis
Iactentur, dum plena seges, citus emicat ignis
Et sata carpit edax hominumque boumque labores:
Nititur agricola incassum, nec viribus ullis
Unda potest tantam campis prohibere ruinam:
Sic volitant tremulae caeli ad convexa favillae.
Parte Palatini qua surgunt culmina, primum
Exarsere ignes, mox turbidus infremit aestus

Finitimis Circi domibus spissisque tabernis,
Merx ubi tam dirae servatur idonea pesti.
Impiger haec inter Satan clademque tumultumque
Aggravat, et socios alta regione vagantes
(Quos pugnae ancipites et caelum et reppulit orcus),
Incutiant ut vim ventis subitasque procellas
Inducant, stimulis verbisque minacibus urget.
Africus ecce ruit violens corusque notusque,
Flatibus acquirit rabies vulcania vires.
Quis memoret vigor ignivomus quot damna necesque
Attulerit miseris? quamquam nox atra recessit,
Obvolvit nigra fumus caligine caelum,
Eripiens solem ex oculis: circum undique clamor
Exoritur plebis gemituque urbs tota remugit.

Ecce, salutifera quae nondum tinxerat unda
Infantem, genitrix vicino e rure redibat.
Vidit ubi cladem fumantesque undique sedes,
Horrescit moestisque ferit stridoribus aethram;
Urget amor, mora nulla tenet, mox prosilit ignes
In medios puerumque rapit; iam spiritus olli
Aeger erat, rosea et pallor suffuderat ora.
Advolat ad Petrum, sacro corpuscula fonte
Lustrantur; matri subridet gnatus, et alto
Lumina clauduntur somno, interque oscula matris
Felici puero reserantur limina olympi.

Vix tanta cernit torqueri caede Quirites,
Indoluit lacrimasque Pudens effudit amaras.
Cogit amor Christi; fugientibus ampla patescunt
Atria, quin etiam exquiliae penetralia sedis.
Ast ubi marmorea Lactaria mole columna
Tollitur, approperant matres, quas cura fatigat
Natorum, ut Christi abluti vitalibus undis

Supremum ante diem, tergant ab origine labem
Attractam superumque queant succedere regno.
At Caesar, dum tanta premunt contagia cives,
Morem habitumque gerens citharoedi ascendit in altam,
Fecerat huic dudum Maecenas nomina, turrim:
Et circumspiciens volitantes undique flammas
Obtutu laetus, latet imo pectore tigris,
Teucrorum canit exitium Troiamque ruentem
In cineres, Graium insidiis et fraude Sinonis.
Sex tenuere dies septemque incendia noctes.
Urbem quis fando recolat iam civibus orbam,
Excidiumque ferox, quo non atrocius unquam
Post Gallorum acies capti videre Quirites?
Templa ruunt spoliisque opulentae hostilibus aedes,
Seu quae victa dabat Carthago, gallica seu quae
Temporibus priscis ditant te, maxima Roma.
Apparent vasti cineres et diruta passim
Moenia tectorum, semiusta cadavera foetent.
Iam Lunae fanum, posuit quod Tullius, arsit:
Iam delubra Iovis cecidere atque Herculis arae,
Parrhasius quas Evander sacraverat ipse.
Et cecidere Numae et primi monumenta Quirini,
Et Vestae templum exustum populique Penates.
Nequidquam approperant alto clamore perennem
Vestales servare focum, et sacraria divae
Signaque tutari; ruit omni a culmine et ipsas
Opprimit orantes ustis laquearibus aedes.
Exoritur nuruum questus matrumque ululatus;
Diffugiunt alii ad campos, quando ultima cernunt
Urbis, et aegra trahunt squalentia corpora vultu.
Implicitis manibus flentes haud passibus aequis
Abducunt gnatos pressantque ad pectora matres:

Atque hinc dira fames, hinc moeror torquet acerbus.
Vulcano superante domos, pretiosa supellex
Et spes omnis abit; duro nam corde satelles,
Quis credat! miseros cives frustraque rogantes
Auxilium propriis violens e sedibus arcet.
Quod flammae haud tetigere, manus rapuere rapaces,
Desertaeque domus avidis sunt praeda ministris.
At pestis dum tanta furit, quicumque sequuntur
Fontibus abluti Christi sacra, protinus una
Exquilias quaerunt oras aedesque Pudentis
Amentes, sensus etenim pavor abstulit omnes.
Hic Petrus pavidos dictis solatur amicis,
Atque animos mulcet Numenque in vota precatur:
O Pater, o hominum rerumque aeterna Potestas,
Pone modum cladi, magnisque occurre periclis.
Non etenim Sodoma haec turpis, nec foeda Gomorrha:
Quin hic Christiadum passim nova germina florent,
Quin urbs haec tua, quam praefers bonus omnibus unam,
Ipsi quam Solymae praefers, cui tanta parasti.
Haec ait illacrimans: ignis radicibus imis
Deficit Exquilii, domus hic sacrata Pudentis.
Immanis postquam clades incendiaque alta
Cessavere, manent ingentes undique fletus;
Excita Romulidum pubes exaestuat ira
Et cupit ulcisci, nulla et iam frena furori
Immensisque odiis, turbantur et omnia luctu.
Corde Tigellinus trepidanti atque Aelius ultro
Regem adeunt, sequitur Simo, quantumque pericli
Imminet, enarrant, caedemque refundere suadent
Invisum in Cepham, crudeli ut funere perdant.
Quaeritur hic frustra: tegitur nam Numinis umbra.
Hostibus hinc crescit rabies, magnamque ruinam

Effera Christiadum gentem molitur in omnem:
Haud secus accipiter caeli e regionibus altis,
Cernit ubi ad turrim volitantes forte columbas,
Irruit, et rostro miseras atque ungue lacessit.
Tortores urgent saeva et tormenta minantur.
    Hic artus totos obtectos pelle ferarum
Christiadum laniant immiti dente molossi:
Hic tigris libycusque leo vorat ore cruento
Reliquias atque ossa tepentia sanguine multo.
Impia plebs circum proceresque sedilia complent,
Astat et ipse Nero: crudeli lumina visu
Expleri nequeunt, alto clamore sequuntur
Et strepitu; qualis, celsa de caute Velinus
Procumbens praeceps, ingenti murmure mugit.
Tanta inter tormenta et dirae funera caedis
Nec questus forti gemitusve e pectore rumpit,
Nec stridor caelum ferit aut morientum ululatus.
Sed si vincla sinant, iunctis ad pectora palmis,
Erectis orant oculis et poplite curvo.
Atque alii picibus fusi ceraque peruncti
Et sudibus vincti et praefixi guttura ferro,
Per vicos plateasque et prata virentia regis
Immanes ardent nocturni in luminis usum,
Aut fixi crucibus palmasque pedesque forati,
Difficiles subeunt obitus crudumque dolorem.
    Undique feralem quum dant incendia lucem,
Tantaque fit clades (horret mea dicere musa),
Ipse Nero laetus per circi septa, per hortos
Invectus rheda laxatis ibat habenis
Aurigam simulans, satiat nec fletibus aures,
Immanique oculos visu crudelis hyaena.
At vos felices, Sancti, namque aspera passis

Aeterna nunc pace datum est caeloque potiri;
Nomina vestra latent homines, sed Numinis aula
Aeternis insculpta notis ad praemia servat.
Postquam plebs abiit, pastuque expleta ferarum est
Ingluvies cineresque solo iacuere sacrati,
Supremum sancti merito decorantur honore:
Accedunt matres lacrimis et debita solvunt.
Illae viminea componunt crate feretrum,
Et sacra membra locant, madidas et sanguine glebas
Rite legunt sparguntque rosis atque unguine multo.
Intersunt lecti proceres Christique ministri,
Et pia turba cavis sese penetralibus infert
Dulcia secretis ut servet pignora cryptis.
Christiadum de more preces modulantur et unda
Exuvias fundunt lustrali ac ture vaporant.
Hinc fossor loculos parat ut veneranda sepulcro
Ossa det heroum. Iungentur plurima posthac
Corpora sanctorum, necis instrumenta cruorque
Condentur phialis, tituli nova nomina servant.
Ardentes coram lychni pietatis amorem
Ostendunt tenebrasque fugant. Monumenta tuorum
Haec tibi, Roma, patrum sint haud peritura per aevum.
Mirentur thermas alii, mirentur et arcus
Templaque pyramidasque atque alta palatia regis.
Vos decus, o Hypogaea, meae quae conditis almos
Athletas fidei, magnae vos gloria Romae.
Haec mihi religio atque animi solamen amari,
Mortalis dum tanta premunt incommoda vitae.
Has caveas penetrare libet, quam saeva tulistis
Supplicia excolere atque effuso sanguine palmas,
Et prece secretis venerarier ossa sepulcris.
Haec ego dum recolo, fluxis fiducia rebus

Mente cadit: nec honos nec copia divitis auri
Allicit aut quae corda rapit vesana cupido.
Vos recolo: augeturque fides flammisque renascens
Corda fovet caelestis amor, spesque erigit una
Me socium vobis aeterna in luce futurum.
    Petrus ut excidio sanctum deperdier agmen
Aspicit immani seque inter tecta Pudentis
Tutari, tanti securum nominis umbra,
Uritur atque animo stat compellare tyrannum,
Si qua foret pietas aut certo occumbere leto.
Pastor namque bonus (tacito sic corde revolvit)
Dat vitam ut tueatur oves tueatur et agnos;
Pro multis si forte cadet caput, ira quiescet.
Haec memorans quum regem audacter adire pararet,
Ecce Pudens, cladis testis, cui pectus anhelum
Arrectique metu crines pallentiaque ora ;
Victus amore Petri, lacrimis occurrit eunti:
Sancte Senex, ait ille, ah! te si cura tuorum
Ulla tenet, si vota valent orantis amici,
Eripe te leto, tantis et cede periclis.
Cunctorum in te Christiadum genus omne recumbit:
Si cadis, ah! miseris quid restat? navita cymbae
Si tumidis absumptus aquis, absumimur omnes.
Proh! dolor, heu nimio recalent tiberina fluenta
Sanguine adhuc, passim discerptis amphitheatra
Sparguntur membris, flammisque voracibus usti
Christigenae Romae plateas et compita clarant!
Vivimus an potius morimur? mors undique saevis
Apparet formis, nostrum cuicumque securis
Imminet, assimiles agnis traducimur arae.
Te serva, dum tempus adest, te subtrahe cladi.
    Ille his; Praxede subiit materque sororque

Rorantes fletu faciem, ceu gramina sparsis
Sole renascenti collucent roscida guttis,
Amplexaeque genu moriturum talibus orant:
Petre, per has lacrimas, per siquid foedera possunt
Hospitii, ne fide nimis, Pater optime; nostrum
Heu! miserere, tuam ne sic ne desere plebem;
Carpe fugam prudens teque instanti eripe fato.
Sic pia turba; pedesque senis complexa tenebat,
Terque quaterque sacris figebat et oscula plantis.
Nil motus, senior dictis solatur amicis
Plorantes ultroque labantia pectora firmat.
Ecce autem proceres subeunt Cletusque Linusque
Orantes, dii memorant exempla Magistri,
Qui Solymam effugiens et iniqui principis astus
Longum iter aggressus, phariis se condidit oris,
Et monuit, soleis excusso pulvere, terras
Deserere infensas et quaerere litus amicum.
Flectitur his Petrus tandem sedemque relinquit.
    Nocturnas ibat nullo comitante per umbras:
Ast animus stimulis fugientem urgebat amaris,
Atque anceps haerebat adhuc, vestigia retro
Flecteret an sequeretur iter: turritaque Romae
Moenia respiciens, heu! quae suspiria moesto
Corde dabat: sic cerva fugax vestigia sistit
Interdum, fetus mordet quam cura relicti.
Et iam Mercurii fugiens traiecerat undam
Gressibus incertis, linum quia textile stringit
Crus ubi sanguineas signarant vincula plagas:
At cito sanescit nullo medicamine vulnus
Fasciolaeque cadunt: titulo sacrabitur aedes,
Quo dehinc usque colent seri monimenta nepotes.
Hic animum sumit, captans felicius omen.

Consiliis agitur variis qua tendere possit
Tutus iter: menti sese nunc Hernicus offert,
Proxima nunc subeunt Latii loca, longior et nunc
Campanis visa est statio fidissima pagis.
Iamque propinquabat templo, quod romula virtus
Gradivo extulerat Marti, dux unde triumphans
Suetus erat plausus inter strepitumque tubarum
Vota referre Iovi: at ritus et fana perosus
Avertit faciem senior. Tum luce corusca
Sistitur improviso, et Christus visus adesse:
Moestus erat, dio quamquam mitissimus ore,
Crux humeris, rubroque patebat pectus hiatu
Transfixaeque manus et acuta cuspide plantae.
Obstupuit visu Simon et poplite flexo:
Quo te, Sancte, pedes, lacrimans quaesivit. At ille:
Ut rursum infigar trunco mihi gressus ad Urbem.
His Petrus obriguit dictis atque omina novit;
Vox haeret, vario miscentur pectora motu.
At tu pande mihi qui sensus, Spiritus alme,
Divinae Sobolis fuerint arcanaque verba,
Quae latuere, mihi liceat proferre sub auras
Atque ignota loqui: timido sic ergo profatur:
Quid metuis, quid, Petre, fugis, quid deseris Urbem,
Quo semel atque iterum venisti numine nostro?
Namque frementium adhuc asperrima silva ferarum
Oceanusque furens atris aquilone procellis,
Mox placidis stabit ventis mare, rore superno
Perfusus, laetis pubescet fetibus hortus.
Ingratam repuli Solymam populumque rebellem:
Ante omnes hanc caram elegi e millibus urbem,
Gentibus ut praesit mage quam victricibus armis
Religione potens, veri hinc lux alma refulget

Et recti, olli omnis terrarum panditur orbis.
Ne, Petre, deiicias animum, fidentior undis
Mobilibus quam cum graderis, romana retrorsum,
Namque egomet tecum, pete moenia, nec fera regis
Facta time, mortem contra sed fortior ito.
Pontificum post te regumque illustrior ordo
Sceptra geret pacis, donec sol fulserit orbi.
Caelicolum tibi partus honos; hinc Roma cruore
Tincta tuo surgetque tuo regina sepulcro:
Et caput hinc fidei, morum hinc immobile saxum.
Grande magisterium, nunquam quod fallere, nunquam
Quod poterit falli; quantumvis infremat omnis
Tartarus, et nisus et inanes exerat iras.
Dixerat: et nivea praereptus nube recessit:
Utque sciant seri rerum haec miranda nepotes,
Impressis saxo liquit vestigia plantis.
Petrus ad haec haeret; subeunt nam verba Magistri:
Te, Petre, cingebas, dixit, quum iunior esses,
Ast alius cinget seniorem et coget adire
Quo nolis; dextra tunc tundit pectora, obortas
Fusus et in lacrimas lapidi centum oscula figit,
Christi ubi sculpta pedum sacrata apparet imago.
Et mora nulla, viam relegit, nec dira Neronis
Iussa tremens fraudesque Magi, stat obire labores:
Corde manet visum, Crux et Calvaria cautes;
Festinatque suis alacer se reddere gnatis.
At vero ut Satan Tarsensem compede vinctum
Et romana videt fugientem moenia Petrum,
Tempus adesse ratus quo germina vellere Christi
Sit fas e terris, Simoni talia fatur:
Quid cessas, Simo? quae nos fortuna sequatur,
Ten latet? exoptata dies sese obtulit ultro,

Qua Cephas, hostis nostri infensissimus, Urbem
Deseruit sociosque, atque incomitatus abivit;
Quaerere namque timor longiquas impulit oras.
Nec Paulo meliora cadunt nunc omina: nostrae
Hostia, ne dubites, citius devota securi;
Ulcisci nunc tempus adest, nunc perdere gentem
Adversam, et simulacra deum et delubra tueri.
Talibus ignescunt irae et furor invidus ardet.
Impatiens scelerum comites exquirit, et omnes
Pertentare dolos iurant nec parcere ferro.
Oh genus infelix! quae caeco pectore versas
Consilia et quae mens coeptis obstare Tonantis?
Quidve paras? glacies tepidis ceu liquitur austris,
Deficis arte tua, ac tenues ceu fumus in auras.
Sed refugit mea musa dolos atque impia facta;
Atque avet Exquilium potius conscendere montem
Cornelique subire domum, quam vivida virtus
Incolit et vultu Christi pax alma sereno.
Nocte intempesta Petrus vix liquerat aedes
Exquilias invitus; eoo e litore Romam
Improvisus adest atque hospita tecta Pudentis
Centurio petit. Italicae dux iste cohortis
Atque olli comes et consanguinitate propinquus.
Vix introgressus sedem gratissimus hospes,
Ecce Sabinilla occurrit gnataeque sorores
Adventu laetae, et foedatas pulvere plantas
Admotis tergunt lymphis, sequiturque Senator,
Excipit et comis peregrinum et basia libat:
Expediunt epulas et vina rubentia miscent.
Hunc primum Petro tellus tulit ethnica florem,
Caesareae dum castra tenet, discrimine nullo
Nam Graecum Omnipotens Iudaeumque aspicit aequus.

Ille Deo pia vota dat et stipis omnium egenos
Sublevat auxilio: tanta haud sine fenore virtus.
Quandoquidem oranti summo demissus olympo
Se offert alatus iuvenis, multumque timentem
Erigit atque ultro dictis affatur amicis:
Eia age, Corneli, superum tibi nuncius adsum;
Rumpe moras ac mitte viros ad litus Ioppes:
Hic domus est; quemdam Simonem nomine Petrum
Invenies: dicet quid agendum, dicta capesse.
Sic fatus, clara subito cum luce recessit.
Postera sed iam lux sextam transegerat horam,
Et sola Petrus seclusus parte precatur:
Esurit hinc, statuuntque dapes; ast ardor edendi
Excessu rapitur mentis; nam sedibus altis
Vas quoddam ad terram visum dimittier imam;
Serpentes volucresque una ac genus omne animantum
Intus erant: vox interea exaudita per auras:
Surge, Petre, occide; hac dabitur dape sternere mensam.
Abnuit ille epulis vesci, quas tangere Moses
Lege vetat. Rursum caelo vox insonat: Absit,
Si Deus abluerit, pollutum dicere quidquam.
Quid sibi visa velint, Petrus dum mente revolvit,
En oratores ioppaeis aedibus adsunt:
Ilicet arcanum patet et divina voluntas.
Iam nova progenies, rerum novus incipit ordo;
Iam vocat et gentes Christus, iamque unus ovile
Unum Pastor habet, ducitque ad laeta salutis
Pascua, et omne genus Patrem veneratur eumdem.
Ergo colit prono Petrum Cornelius ore,
Circumstat dum tota domus proceresque vocati:
At Petrus, quum se tanto haud dignetur honore,
Sublevat, atque arcana Dei tunc ordine pandit.

Talia dum fatur, coetum Deus occupat omnem;
Insidet omnipotens Amor, et super aethera mentes
Flamma rapit: Prohibere sacram quisnam audeat undam?
Conclamat Petrus; lustrali fonte salutis
Tinguntur, Christo cunctique fideliter haerent.
    Vix Romam ingressus, mage nil Cornelius optat
Ex animo dulcem quam compellare magistrum,
Miraturque fuga nuper cessisse, Pudentis
Et liquisse domum, quando olli tanta potestas
Et superum virtus et praesens numen Iesu.
Ac dum se recreat dapibus, circumstat et omnis
Corneli domus atque Orientis facta reposcit,
Incipit ille: Petrus Solymis dum carcere tetro
Clauditur, et miles astat noctuque diuque,
Christiadae exorare Deum atque effundere fletus.
Ecce improviso sternit dum corpora somno,
Nuncius Ales adest, et lumine claustra refulgent;
Vincla cadunt manibus Petro; pedibusque solutus
Liber abit, regem et liventem fallit Iudam.
Quis pavor ast illum suadet nunc vertere terga,
Cui quoque mors paret morborum et pallida turba?
Vivit adhuc operum testis, qui crura pedesque
Attractus rectisque impos consistere plantis,
Suetus erat templi Speciosae assidere portae:
Arrepta hunc Simon dextra levat; ille repente
Surgit et in sacram exiliens citus emicat aedem.
Iam Petri virtutem Ananias sensit et uxor,
Quandoquidem funesta nimis mors abstulit ambos,
Coniugium infelix! verbis fallacibus agri
Quum fraudant pretium. Numquid spirabile Numen
Fallitis heu? dixit; tum protinus externati
Procubuere, cita tacti ceu fulminis ira.

Quid memorem Aeneam Lyddae bis quattuor annos
Artubus aegrotum rigidis lectoque cubantem,
Confestim sanum? nec te, sanctissima mater,
Praeteream, quae, Dorca, iaces absumpta feretro;
Fit gemitus, luctuque omnis turbatur Ioppe:
Flebile stat circum corpus pauperrima turba
Et pueri viduaeque senesque, et munera monstrant:
Alter ait, tunicam hanc Dorcas mihi texuit ipsa;
Has crepidas dedit ipsa mihi, quae, clamitat alter,
Obtexere pedes nudos; et personat aer
Femineo planctu et flebilibus lamentis.
Petrus, cui pietas miserorum pectora tangit,
Deflexis orat genibus, dextraque prehensa,
Surge, inquit, Tabitha: toro et Tabitha resedit,
Pauperibusque parens et vitae redditur auris.
    Haec dum Centurio relegit sibi cognita facta,
Hospitibus carus, quot sunt de gente Pudentis
Aure bibunt avida: sed iam nox humida cursum
Attigerat medium, et mortales somnus habebat.
Expletis ergo dapibus mensisque remotis,
Centurio fessusque via et sermonibus actis
Cornelique domus placidae dant membra quieti.
    Exquiliis pax alma manet, sed sede Palati
Stant vigiles curae regemque insomnia terrent.
Olli visa ratis, sed dextra inferna regenti
Arripit imperium, subit hinc Octavia coniux,
Et frustra orantem tenebras detrudit in arctas;
Formicaeque opplent alatae et signa deorum
Circumeunt, prohibentque pedes et adire theatrum
Pompei, quod erat solemni more dicandum;
Simiolum regalis equus mutatur in atrum.
Nec satis: ecce sonans horrendum audita sepulcro

Laxatis foribus vox appellare Neronem.
His experrectus thalamo cito prosilit aureo:
Millia monstrorum sed nunc sibi cernere visa,
Undique terribiles formae rictuque minaci.
Hic rabido fremit ore leo, spirantibus ignem
Illic luminibus serpens linguisque trisulcis.
Post exauditi gemitus atque alta virorum
Lamenta et ferri stridor tractaeque catenae,
Pallentesque ignes tetris ardere cavernis;
Artubus ille riget totis, quatit ilia terror.
Ecce autem apparet moriturae matris imago,
Multa gemens plagamque sinus ostendit hiantem.
Umbra subit Burri; caesi subit umbra magistri
Coniugis et miserae; furiae plectuntque agitantque
Ultrices, diro et lacessant praecordia morsu.
Ille orat mortem incassum, mors effugit ipsa.
Tempus erit, rex infelix, nec longius abs te,
Quo tibi conscisces letum; sed frigida leto
Torpebit manus, invisamque abrumpere vitam
Et properae exquires amens fera munera mortis.
Maius adhuc scelus explendum, atque immensa Tonantis
Ira cadet, binos Proceres quum funere perdes.
Iam te conspicio (mentem nec fabula ludit)
Amentemque vagumque et fletibus ora rigantem
Per noctem abrupto lustrare palatia somno.
Nec comes ullus adest milesve aut sordida pellex;
Defecere duces iam fidi, exercitus omnis
Defecit, iam te libertum turba reliquit,
Et socii scelerum, deest et letale venenum,
Iamdudum ipse tibi aurata quod pyxide servas.
Et premit hora, fugam acceleras, regalia nec te
Pallia circumdant, detrito at penula panno.

Heu miser, heu quantis iactaris fluctibus amens!
Quem non incusas hominum? nullum affore amicum
Quem tua sors tangat quereris, qui comiter adsit.
At quid adhuc? mora nulla; hostis iam mortifer astat,
Ferrum adigis iugulo, turpe horrendumque cadaver.

ADNOTATIONES

V. 6 *Cui statuit simulacra etc.* — Certum est Simonem Magum divinos honores affectasse, uti eruitur ex Actis apostolicis, atque in hoc consentiunt vetustissimi Patres ac Scriptores, scilicet S. Iustinus M., S. Epiphanius, S. Irenaeus atque Auctor operis, nuperrime reperti et evulgati, titulo — Philosophumena — ac Eusebius Hist. eccl. II, 13: Statua quoque illi erecta fuisse dicitur.

V. 8 *Prodigia . . . . . se prodere signa* — Plinius Histor. nat. XXX, 5 ait de Nerone: Imperare diis concupivit: ut ostenderet quanta sollicitudine in magicas artes adhibendas ferretur.

V. 9 *Infantem tabula excusum etc.* — Hoc signo dicitur Simo ad magicos ludos prodendos usus fuisse.

V. 57 *Hinc tu praecipitas reditum etc.* — Tigellines et Aelius, viri corruptissimi, quum Nero in Achaia versaretur, eius vice Romae fungebantur. Quum vero plebis seditio immineret, datis litteris, Imperatoris ad urbem reditum acceleravere.

V. 63 *Claudius hanc pestem etc.* — Notum est Imperatorem Claudium Hebraeos omnes uti irrequietos Roma expulisse.

V. 110 *Nil nisi circenses cupit et cerealia dona.* — Corruptissima romana plebs nil nisi cupiebat quam panem et circenses.

V. 136 *Parte Palatini etc.* — Tacit. annal. XV, § 38: Initium (incendii) in ea parte circi ortum, quae Palatino Coelioque montibus contigua est: ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus et vento citus longitudinem circi corripuit.

V. 142 *Quos pugnae ancipites etc.* — Dante Infer. Cant. III, v. 40-42: Cacciarli i Ciel per non esser men belli; — Nè lo profondo inferno li riceve, — Chè alcuna gloria i rei avrebber d' elli.

V. 167 *Ast ubi marmorea etc.* — Columna Lactaria in Foro Olitorio, ubi infantes exponebantur. Vide Fest. Tertulli.

V. 172 *At Caesar, dum tanta etc.* — Svet. in Neronem § 38: Hoc incendium e turri maecenatiana prospectans, laetusque *flammae*, ut aiebat, *pulcritudine* excidium Ilii in illo suo scenico habitu decantavit.

V. 179 *Sex tenuere dies etc.* — Tacit. loc. cit: Sexto demum die apud imas Exquilias

finis incendio factus, prorutis per immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret.

V. 182 *Post Gallorum acies etc.* — Tacit. Ann. — Svet. in Neronem locis citatis et praesertim Dion Cassius Lib. LXII, monumenta ac templa diruta absumptaque ea in magna clade enumerant.

V. 222 *Deficit Exquilii etc.* — Tacit. ibid.

V. 239 *Hic artus totos etc.* — Martyrol. rom. 24 iunii: Romae commemoratio SS. plurimorum Martyrum, qui sub Nerone Imperatore de Urbis incendio per calumniam accusati, diverso mortis genere ab eodem iussi sunt saevissime interfici, quorum alii ferarum tergis contecti, laniatibus canum expositi sunt, alii crucibus affixi aliique incendio traditi, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deservirent. Erant hi omnes Apostolorum discipuli et primitiae Martyrum, quas romana Ecclesia, fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.

V. 267 *Nomina vestra latent etc.* — Ignorantur omnino nomina plurimorum Martyrum primae neronianae persecutionis, quae Romae quasi improviso desaeviit.

V. 285 *Ardentes coram lychni etc.* — Reliquias Martyrum, vel a vetustissimis Ecclesiae temporibus adhibito cultu, Christiani venerabantur, prout videre est Romae in pluribus cryptis.

V. 308 *Pastor namque bonus etc.* — S. Ioann. Cap. X, vers. 11: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

V. 337 *Sic pia turba etc.* — S. Ambr. Serm. 13, contra Auxentium: Christianae animae deprecatae sunt (Petrum) ut paulisper cederet; et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est etc.

V. 345 *Et monuit, soleis excusso etc.* — S. Matth. Cap. X, vers. 14: Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

V. 355 *Et iam Mercurii etc.* — Ovid. Fast. Lib. V, vers. 673: Est aqua Mercurii portae vicina Capenae.

V. 359 *Fasciolaeque cadunt etc.* — Dicitur id accidisse ad eum Appiae locum, ubi nunc extat templum SS. Nerei et Achillei, dictum ex hoc eventu titulo: Fasciolae.

V. 366 *Iamque propinquabat etc.* — Templum Martis prope viam Appiam, primo fere ab Urbe milliario.

V. 371 *Sistitur improviso et Christus visus adesse* — Traditum est Christum fugienti Petro apparuisse ad eum Appiae viae locum, ubi nunc extat Ecclesia, vulgo: Domine, quo vadis: appellata.

V. 385 *Quo semel atque iterum etc.* — Notum est S. Petrum bis Romam advenisse, scilicet sub Claudio et sub Nerone.

V. 409 *Impressis saxo liquit etc.* — Lapis hic asservatur in templo S. Sebastiani: exemplar autem in Ecclesia apud Appiam, vulgo dicta: S. Maria delle Piante.

V. 411 *Te, Petre . . . . . . quum iunior esses* — S. Ioan. Cap. XXI, v. 18: Amen, amen dico tibi: quum esses iunior, cingebas te et ambulabas ubi volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. — S. Petr. Epist. II, Cap. I, v. 14. — Hoc autem dixit (Iesus) significans qua morte clarificaturus esset Deum: vers. 19. S. Ioann. loco cit.

V. 447 *Centurio petit.* — Centurio cohortis quae dicebatur Italica, vir religiosus ac timens Deum, licet gentilis: videtur enim fuisse Italus et Romanus, nam gens Corneliorum Romae fuit nobilissima. Probabile est hunc Cornelio Pudenti senatori fuisse propinquum.

V. 456 *Caesareae dum castra tenet etc.* — Act. Apost. Cap. X, v. 1 et seqq.

V. 502 *Incipit ille: Petrus Solymis etc* — Act. Apost. Cap. XII, v. 1 et seqq.

V. 511 *Vivit adhuc operum testis etc.* — Act. Apost. Cap. III, v. 2 et seqq.

V. 516 *Iam Petri virtutem etc.* — Act. Apost. Cap. V, v. 1 et seqq.

V. 522 *Quid memorem Aeneam etc.* — Act. Apost. Cap. IX, v. 32 et seqq.

V. 525 *Praeteream, quae, Dorca etc.* — Act. Apost. Cap. IX, v. 36 et seqq: Tabitha, quae interpretata dicitur Dorcas.

V. 546 *Olli visa ratis etc.* — Svet. § 46: Terrebatur ad hoc evidentibus portentis somniorum et auspiciorum et ominum, quum veteribus, tum novis. Nunquam antea somniare solitus, occisa demum matre, vidit per quietem, navem sibi regenti extortum gubernaculum; trahique se ab Octavia uxore in arctissimas tenebras; et modo pennatarum formicarum multitudine oppleri, modo a simulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatorum circumiri arcerique progressu; Asturconem, quo maxime laetabatur, posteriore corporis parte in simiae speciem transfiguratum, ac tantum capite integro, hinnitus edere canoros. De Mausoleo, sponte foribus patefactis, exaudita vox est, nomine eum ciens.

V. 570 *Tempus erit, rex infelix etc.* — Svet. § cit. et seqq.

PETREIDOS

LIBER TERTIVS

ARGVMENTVM

Candidus miles, ab Insubriae Episcopis missus Romam, caedes in Christianos patratas commemorat, praesertim SS. Gervasii et Protasii, Ursicini et Vitalis, Nazarii et Celsi. Simo animum sumens ab excidio Christianorum, ratus Petrum absentem esse, spondet Neroni se volatu proxime in caelum esse iturum. Petrus vero inopinato Romam rediens impensius studet operibus sacri ministerii, et sciens se proximum morti, scribit secundam epistolam, quam committit Cornelio centurioni Hierosolymam redituro, cui etiam urbis et populi hebraici proximum excidium et captivitatem praenuntiat. Interea Simo ex Tarpeia rupe ignito curru per aera extollitur; sed mox, Petro et Paulo precantibus, praecipiti casu turpiter corruit. Aelius et Tigellinus Petrum apud Neronem accusant, qui in Mamertinum carcerem coniicitur. Contingit haec inter Pudentis visum, quod refert ad erigendos Christiadum animos. Dein Petrus ipso in carcere quaedam, quae eventura Romae erunt, praecinit: in his innuitur dogma Immaculati V. M. Conceptus sanciendum, habendumque Vaticanum Concilium ad errores et Ecclesiae hostes profligandos. Paulo ad aquas Salvias caput obtruncatur: Petrus in vertice Ianiculi cruci suspenditur. Hinc Pontificalis Cathedra universi catholici orbis Romae instituitur; ac post saecula decem et octo saecularia solemnia a Pio IX celebrantur.

Ut belli signum romana Caesar ab urbe
Extulit in Christum; caedesque miserrima saevit,
Tempestas fines italos bacchatur in omnes,
Et stupet innocuo tellus madefacta cruore.
Tum sacri auxiliis alacres occurrere plebi
Pastores animisque labantibus addere vires,

Et curas omnes, omnes et obire labores
Impavidi et cunctis caput obiectare periclis,
Ut Christo geniti patrata piacula tergant,
Unganturque olea frontes, et corpore pasti
Divino, frugum sub imagine, pectora firment.
Mittitur interea Romam, nova praelia Petrus
Ut noscat partas et honora morte coronas,
Candidus orator, referat qui insubribus oris
Quam fera Christicolas tempestas obruit. Ille
Nuncius adveniens moestis sic vocibus infit:

Innumeri nostro cecidere e germine fortes,
Matres atque viri puerique ac innuba pubes.
Novi egomet fratres, teneros nutrirat Iesu
Sancta parens (alter Protasis, germanus et alter,
Nomine Gervasius), geminos iuvenilibus annis
Et forma et virtute pares, quos omnis amabat
Urbs Mediolani: Vitalis divite censu
Auxerat hos genitor moriens, sed uterque perosus
Mollitiem vitae et vani molimina fastus,
Aurum pauperibus large impendebat alendis.
Quin ipsis et cella brevis secretaque, noctes
Atque dies votis precibusque vacare suetis.
At dum Marcomanis romana Astasius arma
Dux infert, placatque novo simulacra deorum
Ture litans, pugnae quae sint et fata requirit:
Haec Satan responsa refert — Tu victus abibis,
Ni geminos adigas aris incendere honores,
Atque reluctantes crudeli funere perdas —
Nec mora: quaesiti iuvenes, nam sede latebant
Usque sua, dare tura Iovi, donisque minisque
Compulsi, renuunt; furit acri Astasius ira.
Tum Protasis subito nudatus corpore toto

Caeditur, heu pietas! plumbatis fustibus; ater
It sanguis circum et bibulam perfundit arenam;
Exta vel ipsa patent diro sub grandine, at heros
Usque manet tacitus; frater mox occupat ultro:
Cur ego dedecori servor, dum frater honore
Afficitur? geminis eadem spes una fidesque,
Et geminos, sic fas, eadem fortuna sequatur.
Tunc furor Astasi gliscit, nec plura moratus
Plectit utrumque nece, ac bini potiuntur olympo
In patris excepti gremium, namque ipse decora
Vitalis primum celebrarat morte Ravennam;
Notus et ille mihi, simul et praecinximus arma,
Et ruimus simul in pugnas: ó quanta viro vis
Quanta et religio! Quum forte accederet urbi,
En Ursicinum, medicam qui calluit artem,
Supplicium trepidare videt iam iamque labare
Incertis animis: tum clamat fervidus: Heus tu,
Ursicine, vide iaculo ne mortis acuto
Te perimas, suetum depellere corpore morbos.
Mox Ursicinus firmato pectore letum
Oppetit: hunc sequitur lapidum Vitalis acervo
Obrutus, et meritas referunt pro funere palmas.
    Candidus haec miles: Petrus sed mente revolvit,
Sanguis ut heroum Christi nova germina prodat.
Tum Linus, abluerat dudum qui fonte salutis
Nazarium, poscit quae sors obvenerit olli.
Ille refert casus miseros clademque peractam;
Et cecidisse virum, fato et cessisse supremo
Celsum una puerum; iam Gallia viderat altum
In mare deiectos tumidis e fluctibus ambos
Incolumes servasse Deum, immortalia quando
Serta parabantur nostra tellure beatis:

Nam Mediolani tandem cervice revulsa
Alta tenent caeli, palmis victricibus aucti.
Tum Christi atlhetas rerum miranda sequuntur:
Reliquias oculis caecus vix admovet, alma
Gestit luce frui; fracto qui crure iacebat,
Exilit en subito sanus: mutisque patescunt
Aures occlusae, atque heroum facta loquuntur.
Sic flens ille: piique viri sanctaeque puellae
Et matrum devota manus mirantur, et inde
Omnibus idem animus quot sunt incommoda vitae,
Quot mala, quot duros terris perferre dolores:
At Christo servarē fidem, servare perennem,
Quin etiam effuso testari sanguine verum.
Christiadae numero meritisque hoc semine crescent.
Sic apenninis e cautibus exilit amnis,
Principio exiguus, Tiberis, camposque pererrans
Excipit et Fabarim et praerupta rupe Velinum,
Altius ingenti sic murmure praecipitantem,
Et Narem atque Clanim atque Anienen, monte Catillo
Qui fosso procumbit; aquis sic pluribus auctus
Ut rex fluviorum reginam interfluit urbem.
Interea Satanae coniector iussa capessit
Absentemque ratus Petrum, promissa Neroni
Certa dabat, miro liquidum per inane volatu
Se fore ut abripiat terris caeloque residat.
Impatiens rex tanta cupit iam monstra tueri.
Petrus ubi novit brevius sibi tempus adesse,
Extremumque instare diem, quum pectore verset
Magnanimo curam generis, quod maximus orbis
Continet, unius Pater et sit Pastor ovilis;
Rursus epistolium populos mittebat ad omnes,
Ut foret usque sui testis supremus amoris.

Haud secus, ut fama est, albi prope funus olores
Et dulces gemitus et suavia carmina produnt.
Ille igitur stando, palmis ad pectus utrisque
Consertis crucis in morem, vultuque micante
Erectisque oculis, legeret velut abdita caelo,
Haec arcana, Lino comiti signanda, docebat:
— Nuntius ipse Petrus Simon et servus Iesu
Haec scribo vobis, qui sorte tenetis eamdem
Iustitiamque fidemque; benignus munera Christus
Augeat et pacem: Proles aeterna Parentis
Aeterni, Deus, ut mortales induit artus,
Cuncta dedit bona, et infirmis mortalibus omne
Dilapsum e caelis et inenarrabile donum
Attribuit sic, namque Deum cognovimus unum,
Maxima qui nobis donat promissa: Deique
Participes etiam efficimur, si spesque fidesque
Atque amor et virtus aethram super evehat ardens,
Et superum regnum ingredimur caelisque potimur;
Pignora cara Deo sumus et divinitus orti.
Altius haec animis igitur mea figite dicta;
Certa loquor. Mortali etenim iam corpore solvor,
Sed mea verba manent, nullumque oblitterat aevum.
Factus homo Deus edocuit: quum vertice Thabor
Essemus sancto, vox caelo elabitur alto,
Testaturque Dei Sobolem, divinaque mandat
Iussa sequi: mediis sed lux exorta tenebris
Effulget late, quam sacra volumina vatum
Effundunt, sternuntque viam, quae ducit ad astra.
Ah! fortes estote bonique; nec error et ullae
Vos capiant fraudes; falsi nam saepe magistri
Seducent monstris, mellitaque verba loquentur.
Abripiat nec vos aurum, nec blanda voluptas,

Gloria neve animos tollat rerumque cupido.
Namque Deus, scelerum vindex, caelestia trusit
Agmina, et infernis obstricta rudentibus igni
Tradidit aeternum crucianda; hominum et genus omne
Abreptum vitiis, undarum gurgite mersum,
Magna luit commissa: dies sed et altera Christi
Adventus veniet; paret ceu fulgur in aethra,
Innumera sic ille aderit stipante corona
Caelestum, subito percellens lumine gentes.
Certa fides; fictis occludite vatibus aures:
Iudiciumque sedet, donec dissolverit ignis
Aequoraque et terras et magni lumina mundi —
Sic docet aeternae Petrus monimenta salutis,
Mirantes quae longa legent post saecla nepotes.
Haec tibi, Corneli, dabat exemplaria Simon,
Quum tu rursus iter iudaea ad litora tendis,
Pontificisque pedi sancto flens oscula libas.
Dum discedenti Petrus bona cuncta precatur,
Plura super Iuda rogitat, cui plura ferenda
Tradit mandata: at Solymae dum cura recursat,
Solvitur in lacrimas et tristi voce profatur:
Heu urbs infelix casusque ignara futuri!
Imminet heu quantum excidium, quamque horrida clades!
Hostis adest; densae cingunt tua moenia turmae,
Obsidione tenent, strictam velut efferus ungue
Accipiter tollit pavidam per inane volucrem,
Atque avidus rostro discerptam devorat ore:
Interea obsessos scindit discordia cives.
Haec te praemonuit Christus, quem caeca repellis,
Muneribus quum te cumulat visitque benignus,
Ductoremque tuum crudeli stipite figis.
At quinam flammarum aestus tolluntur ad aethram

Extemplo, fumique dies involvitur umbra?
Heu! sacrati adytus, magna heu! domus Omnipotentis
In cineres, nec saxa super iam saxa supersunt.
His Petrus dictis Solymorum horrenda canebat
Fata: pavent omnes; diversi at pectore sensus
Exagitant; hic pro caris torquetur amicis,
Pro gnatis tremit hic, misera quos liquit in urbe.
Ast alii repetunt immane ob crimen Iudam
Digna pati tandem iustamque rependere poenam.
Parte alia Simo regali sede moratus
Monstra parat populo atque avido exoptata Neroni.
Romula quandoquidem ludis plebs tota iocisque
Abripitur, ducitque dies, oblita securis
Quae capiti impendet, regni dum versat habenas
Immanis Nero: nec poenis, nec caede movetur,
Qua Christi metit ille gregem proceresque Quiritum.
Iam ludi et carae fervent spectacla palaestrae,
Et luctatores crudo qui praelia caestu
Sese inter miscent; qui flavi flumina Tibris
Traiiciunt nando vel cursu praepete certant.
Iam thermae patuere; sophi huc contendere et una
Plebs effrena, amens: cupidis deest nulla voluptas.
Namque palatina librorum copia sede
Panditur, et studiis licet indulgere minervae
Acta diurna sequi et doctas evolvere chartas.
Corpora si lubeat valida exercere palaestra,
Et disco spatia ampla pilaeque trochoque patescunt.
Isidis hic sistrum crepitat, corybantiaque aera
Hic Cybeles, vario hic miscentur carmina cantu:
Fit late strepitus, ceu, quum regionibus arcti
Turba gruum furiatum imbrem rapidasque procellas
Effugit, oceani stridens ad litora tendit.

Nam quisnam referat, fuerit quae tunc mea Roma,
Pressa iugo Satanae vinclisque obstricta tyranni?
Ut nemus arboribus densis et sentibus asperum
Atque atris horrendum umbris genus omne ferarum
Incolit et se inter discerpit dente voraci;
Hic stridor fremitusque ac horribiles ululatus,
Ossibus omnis humus sordet nigroque cruore.
Ast media in silva, vix ulli cognita crescunt
Lilia puniceaeque rosae suavesque hyacinthi,
Incipit et vernis pubescere floribus hortus;
Nec notus aut boreas, tepidis sed flatibus aurae
Lene fovent nitidis bene olentia gramina campis:
Et colit haec Petrus nascentia germina Christi,
Quae tacite surgunt, rapitur dum romula tantis
Plebs vesana iocis, heu! saecli ignara futuri.
Nunc age supremum Simonis pange furorem,
Musa, mihi et turpes casus, tanti unde Neroni
Exarsere ignes, et partum tibi, Petre, tropaeum.
Qua Tarpeia Foro rupes supereminet alto
Et Capitolini propter Iovis inclyta sedes
Emicat; inde Magus liquidas se tollere in auras
Spondet et aetherias enando vincere nubes.
Ergo luce stata vix caelo aurora rubescit,
Plebs stipata, frequens, incensa cupidine monstrum
Visendi, plateas complet vicosque propinquos,
Turrenum Tuscumque, et tetro a carcere dictum
Mamertis, sacramque viam vicinaque circum
Compita. Et ipse Nero thalamo digressus eburno,
Itque reditque, comesque illi novus Icarus ibat,
Multa inter sese cupido sermone serentes;
Et sistunt quandoque gradum, patulisque fenestris
Plebem adventantem, tumidis ceu fluctibus aequor,

Ferventem aspiciunt: Cernin, Magus improbus inquit,
Nubem illam, quae nunc sublimis in aethere summo
Effulget medioque Foro tua signa coronat?
Hanc vincam flammante rota subvectus in aethram,
Mortalem effugiam obtutum atque abscondar olympo.
At tu Iudaeum insidiis ac fraude potentem
Ne patiare diu impunem traducere vitam,
Si regni, si cura tuae tibi cara salutis.
Occidat aut ferro aut cruce: sic te Iuppiter aequus
Augeat imperio et felix tueatur in aevum.
Simo haec iactabat: medio iam fulgidus axe
Sol rosea septem spargebat lampade colles;
Impatiens vulgus, portenti arrecta cupido.
Ipse Nero turri populo spectabilis alta
Aurata insidit sella, praetoria circum
Agmina stant armis fulgentibus; Aelius hinc et
Inde Tigellinus; tyrio rex murice tincta
Veste rubet, cupido Simonem lumine lustrat.
Ore habituque tumens comitantibus ibat amicis
Coniector summique Iovis delubra petebat.
Hic taurum ingentem, velatum cornua vittis,
Nigrantem tergo, solemnes mactat ad aras,
Sanguinem et effundit patera, et sic voce profatur:
Vos erebi obtestor manes, obtestor et orci
Numina; vos magni mihi nunc succurrite coeptis,
Vos vires mihi ferte: novum mirata Quiritum
Plebs monstrum stupeat, nobisque altaria tollat.
    Templum inter Iovis et Tarpeiae culmina rupis
Lucus erat brevior, nigris densissimus umbris;
Huc venit, et media Simo se sistit arena;
Ter virga sublata auras ter verberat ictu;
Terque agitur praeceps in gyrum, et ter pede terram

Percutit, obscenasque notas horrendaque verba
Ore fremente vomit, refugit quae musa referre:
Et furit, arrecti crines impexaque barba,
Discissae vestes, mutata et lumina, vultus
Decolor. Exaudita at iam cantamina sentit,
Praecipitatque moras properatque ascendere cautem.
Igneus en subito currus flammantibus actus
Visus equis, rapitur Simo atque assurgit in auras,
Insuetum vectus per iter, praevertit et euros:
Illum quadriugis pronum dare lora tuentur,
Pallia dum levibus volitant ludibria ventis.
Petrus ubi magica deceptum despicit arte
Vulgus, et incertos, peperit quos nuper Iesu,
Romulidas haerere, immensum concipit ignem;
Procumbitque genu flexo tacitusque precatur,
Ne sinat Omnipotens umbris fallacibus ultro
Romanum genus omne capi, tristique tropaeo
Artificem gestire doli et subvertere mentes:
Exurgat Deus, atque infernos conterat hostes.
Atque haec dum populo coram manifesta geruntur,
Mamertina tenent obscurum vincula Paulum.
Haud procul hinc fragor auditur strepitusque frementum.
Noverat ille Magi fraudes infernaque gesta
Insontesque orans tendebat ad aethera palmas.
Aetherius iuvenis, Romae cui credita cura,
Vota Ducum superas defert festinus in aedes.
Annuit extemplo Deus et tremefecit abyssum.
Haec inter, subito miscetur turbine caelum
Horrendumque tonat; nubes ferrugine tetra
Ignitos currus, aurigam obvolvit equosque;
Praecipitique ruit perculsus fulgure Simo.
Ora stupent casu, subitus tremor occupat omnes.

Cruribus effractis, attritus corpore toto,
Caesaris ad solium infelix ruit: atra cruore
Terra rubet, guttis tegmen regale madescit.
At Nero crudelis nil casu motus acerbo,
Illudit misero dictis turpique cachinno,
Ac solum approperat sordentem ponere vestem;
Tanta animo feritas sedet et neglectus amici.
Sed sancti Heroes casum ut novere, Tonanti
Persolvunt meritas grates et numen adorant
Propitium. Facti testis, mollescere visa
Dura silex genuumque Petri vestigia ferre.
Ille hinc cedenti populo commixtus abibat.
Attamen haud latuit: contra namque Aelius alta
Sede Palatini Seniorem poplite curvo
Tollentemque manus caelo conspexit, et una
Simonem ruere: et lapsu perculsus amici,
Explorare vias omnes et compita, vindex
Ut queat infami Petrum deperdere leto:
Visa Tigellino narrat, nec segnis uterque
Ulcisci statuunt, animis vetus ira resurgit.
Nec Petrus aufugit: sed iam nunc debita Christo
Victima se quoscumque parat subiisse labores.
Nec deest officio, curaque impensius omni
Grande ministerium, Christus quod credidit, implet:
Haud aliter moritura micat mage vivida flatu
Splendidiorque vibrat fax ipso in funere lucem.
Haec inter benefacta, feri regnantis ob iram,
Abripitur furtim caecoque obtruditur antro.

At mihi iam liceat terram penetrare sub imam
Et Mamertini spelaea carentia luce
Visere, ubi rursum coniectus in aspera Petrus
Vincla sedet, Paulo socius; penitusque reposto

Carcere uterque Deo libetur ut hostia Christo.
Dicere quis valeat numeris, quos pectore sensus,
Quas lacrimas laeti excierint, quum cernere tandem
Fraternos licuit vultus atque oscula fronti
Figere et optatas audire et reddere voces?
Miratur pia turba virum, simul ipsa catenis
Obstricta, et gestit sanctos astare parentes.
Tum nova vis animis mortisque incensa cupido:
Proiectique genu flentes dare basia plantis
Mille sacris, avidique Patres audire loquentes.
Hos inter, quondam excubiae, Processus, et alter,
Illi qui comes affuerat, sanctoque lavacro
Abluti, aridulo saliunt quum pumice fontes,
Seque dicant Christo, cui dant cum sanguine vitam.
    Christiadae sed multa dolent, dum carcere tetro
Servatur Petrus, et ferventia vota frequentant
Solliciti, et dulcem satagunt invisere patrem.
Adveniunt noctu taciti Cletusque Linusque
Atque alii proceres; avidis custodibus aurum
Dant large, et magni pendent Pastoris ab ore.
Nec minor interea Basilissam et Anastasin imo
Poctore cura movet: sanctorum corpora quando
Textilibus suebant curare atque unguine odoro,
Sacratisque pio ritu componere cryptis.
Maximus ast oritur fletus, quum tota Pudentis
Gens carum novit coniectum in vincla parentem.
Ecce Pudens animos, quamvis moestissimus ipse,
Sublevat, et visum referens his vocibus infit:
    Vidi egomet monstrum, fratres mihi credite: magnus
Est Deus in caelis, superisque phalangibus urbem
Romuleam tutatur et alto numine servat.
Hoc erat imperio ut populos componeret uno,

Quos terrarum orbis, quos magnum amplectitur aequor,
Ut facile tibi, Roma, daret pietate regendos.
Luce rubescenti caecas aurora tenebras
Montibus expulerat primum, somnoque fugato
Orabam tacito seclusus rite sacello.
Excessu rapior mentis: gratissima caelo
Vertice Ianiculi cadit hostia; conditur et sol,
Horrescens scelus atque homines exosus iniquos;
Umbraque cedentis visa est obvolvere colles
Septenos, superare fretum terramque polumque;
Pone Cherubim, aeterna notans: Huc usque tributum,
Imperium Christi magnae donabitur Urbi.
Tum vaticano spectrum venerabile surgit
E tumulo; obtutu sternuntur Apollinis aedes
Et turpis simulacra deae delubraque Vestae
Et Iovis: obsceni cessant spectacula circi.
Ecce manum tendit, direptaque serta tyrannis
Discerpit calcatque solo, quod sanguine fumat
Christiadum: his tandem cingit sua tempora Caesar,
Uni templa Deo sapiens qui condit et aram.
Saecla fluunt duodena, novamque attollere molem
Contendunt populi, qua non sublimior ulla est;
Et stabit, veteris quum magna palatia Romae
Diruta vix umbrant herbas; caput inserit altum
Nubibus aetheriis; fanis detracta deorum
Marmora, longinquis dudum asportata fodinis,
Christiadum in templis meliori sorte renident.
Hic aurum, hic gemmae, hic silvarum more columnae,
Atque ubi Agrippinae florent viridaria ludis
Turpibus, ingenuae nidum posuere columbae,
Virgineus Christi chorus, auditaeque canentum
Alternae voces. Impuris aspera thermis

Aera tacent: novus e turri fragor advocat aris
Hortaturque piis precibus sacrisque litandis.
Bellica signa ducum et Martis cessere tropaea,
Unaque Crux celsa Capitoli splendet in arce.
Nec, mea Roma, tuas luctator sanguine glebas
Ulterius tinget, fremitus siluere leonis:
Quin pietas inopum turbas viduasque senesque
Amplecti properat puerosque parentibus orbos.
Gens ruit interea gelidis e finibus arcti
Barbara, Romulidas et ferro purgat et igne:
Bella furunt caedesque; at maximus Urbe Sacerdos
Rex sedet et sacrae coniungit sceptra tiarae;
Atque illuc, nostro fumant ubi Caesaris horti
Sanguine perfusi, cunctis e finibus hospes
Advenit exorans pacem, atque altaria supplex
Accumulat votis, animique piacula tergit.
    Dixerat: obstupuere omnes et mentibus haerent
Attoniti: acceleratque Pudens Mamertis ad antrum
Extremum sancti voces audire magistri;
Iungitur et sociis: cuncti stant ordine circum
Obscura in cavea, exiguo lux igne tenebras
Effugat; obstrictus ferro vultuque sereno,
Parietibus dorsum, innixus sedet ille columna:
Lumine dein facili sanctum circumspicit agmen;
Pectore adesse Deum sentit, palmisque supinis
Ad caelum, somno velut experrectus ab alto
Luce nova radiante oculis haec praescius infit:
    Magne Deus, quam magna aevi mihi fata futuri
Nunc aperis! quanta evenient volventibus annis
Huic urbi, mihi quantus honos! mirabile visum
Iam video: aeternae patuere volumina mentis.
Hic tua, Christe, gerunt terris qui sceptra vicesque,

Ordine succedunt longo, nec bella, nec astus
Infernosque tremunt hostes, quin sanguine surgunt
Largiter effuso innumeri, ceu semine, creti
Christiadae, dulcique iugo gens romula tandem
Subditur, imperiumque tenet non tristibus armis
Et lacrimis, sed pace, sed et pietate paratum,
Cui nullae rerum metae, cui tempora nulla
Ponuntur, superis donec sese inseret astris.
Tempus erit, mihi certa fides, quum hanc nomine sedem
Et virtute Pius reget: orbis hic una voluptas,
Unus amor; tamen et fraudes expertus et arma
Foedifragum, nil tale merens, asperrima passus,
Ille tenet clavum et solida stans mente, nec iras
Ventorum pelagive minas aut monstra tremiscit.
It navis certoque volans secat aequora cursu,
Undarum victrix, tanto secura Magistro.
Hic fidei morumque novos Heroas olympo
Exceptos dat rite coli solemnibus aris.
Quodque erit in populi votis, ab origine labis
Parthenidi exemptae supremum mandat honorem.
At subito densis horrescit nubibus aether,
Fertque immanem hiemem tempestatemque minatur,
Et tonitru resonat caelestisque emicat ignis,
Et gravidae nimbo scinduntur in aere nubes,
Et manus apparet romanamque obtegit urbem,
Hostibus excidium minitans atque aspera bella.
Illi dente fremunt et torvō lumine caelum
Suspiciunt strictoque Deum mucrone lacessunt.
Sed Patrem aspicio pacata mente supinas
Tollentem Superis palmas longumque precantem.
Interea visae liquidum per inane phalanges
Instructae clypeique leves fulgentiaque arma

Tutari muros valide et contendere pugna.
Procumbunt turmae, foveasque cadavera complent;
Attamen in mediis effrontes moenibus hostes
Omnia permiscent: ecce autem excussa repente
Terra tremit tonitru reboans, huc structile et illuc
Caementum volat, immensisque oppressa ruinis
Actutum aeterno conduntur corpora somno.
Tollitur interea fumus flammaeque coruscant,
Ac late stridet plumbatis glandibus aer.
Utque fretum scopulis frendens illiditur altis,
Non aliter rabie et nisu contendit inani,
Viribus ac tandem domitis prosternitur hostis,
Pontificis solio monimentum triste furoris.
Ereti muri, vos, nomentanaque passim
Arva cadaveribus fusis horrentia cerno,
Culmina, vos, Cimini cerno, vos Balnea regis,
Vos, iuga Sublaquei, praeruptaque Nerula saxis,
Teque, o sublimis Capitoli immobile culmen.
Sic etiam agminibus saevis rex barbarus olim,
Et spoliis palmisque ferox, qua Mincius undam
Miscet in Eridanum, spirans caedesque minasque,
Traiicere arma parat: summus miti ore Sacerdos
Occurrit casus Italum miseratus acerbos:
Flectitur ille, viam relegit turmamque reducit.
Adverso fractus bello tum sibilus anguis
Infremit, et caecas redit indignatus abyssos.
Voce sonat summus Pastorum, cogitur et mox
Concilium venerandum, ingens, et finibus orbis
Longinquis Proceres sacros, quos infula cingit,
Carpere iter Romam video: comitantur euntes
Pennati iuvenes, aulae caelestis alumni,
Pastoresque gregesque assueti grandibus alis

Tutari, et sanctos peragrantes numine servant,
Ne noceat glacies flammisve furentibus aestus,
Fluctibus aut aequor tumidis aut callidus anguis.
Maximus interea sedet alta sede Sacerdos,
Et triplicis capiti fulgent insignia regni,
Pontifices albis circumstant mille tiaris.
Teque vocant proni, caeli o spirabile Numen,
Ut coeptis praesens votisque fidelibus adsis,
Ut foveas pia corda, piis ut mentibus ignis
Splendeat, et veri et recti bona verba ferantur.
Tum caelestem illos inter volitare Columbam
Aspicio, sanctas quae iam Iordanis ad undas
Visa est, et Christi supra caput astitit alto,
Quum velut ingenti tonitru vox reddita caelo est:
Filius hic mihi delicium, mihi sola voluptas.
Tunc improviso vehemens, spirantis ut aurae,
Auditur fremitus, caelo delabitur ignis
Verticibusque sedet summis, et Flamen amoris
Aeternum, Deus, ecce Deus: divina loquuntur
Pastores, pronus quisquis mandata capessat.
Impia quae Christi scindit discordia vestem
Et furor et tristis formis fallacibus error
Cessere et livor, duplici et mendacia fronte;
Et venit e superis pax alma atque oscula iungit
Iustitiae, terris felici saecula cursu
Incipiunt, unius enim fit Pastor ovilis.
Vix ea fatus erat: lictores ima penetrant
Mamertis spelaea, umbris aurora fugatis
Iam roseo summos spargebat lumine montes.
Heroes gemini simul ad crudele trahuntur
Supplicium; nam saeva premunt mandata tyranni.
Salviae ubi noto decurrunt nomine lymphae

Paulum obtruncatum, Ianique cacumina Petrum
Transtiberim contra suspensum stipite cernent.
Illuc visendi studio ruit undique vulgus
Effusum, et plateas complet vicosque forumque.
Sic quos unus amor iunxit, dum vita maneret,
Ipsius haud valuit diducere funeris hora
Mox individuae donandos munere palmae.
At varii populo sensus et dissita vota;
Romula plebs circi spectaclis suetaque caedi
Visu oculos explet diro; sed pone secuta
Christiadum pia turba dolet miserata Parentes.
Perfusae lacrimis Basilissa et Anastasis adsunt,
Et matronarum rorantes lumina coetus,
Et quid opis fas sit morituris ferre ministrant.
Iam porta exierant, cui Tibridis ostia nomen
Fecere: hic geminos miles seiungit amicos;
Heu durum nimium! collo dare brachia circum
Ferrea vincla negant, et tortor barbarus urget,
Supremumque vale supremaque verba vetantur.
Quaenam mens animo fuerit, qui pectore sensus
Heroum Christi, dignis quis versibus aequet?
Musa, tace; nec enim tibi fas evolvere sensa
Uni nota Deo, non usquam audita profanis.
Ut procul aspexit Petrus, quod culmine collis
Ianiculi erigitur ligni ferale tropaeum,
O bona Crux, clamat, sancta et venerabilis arbos,
Haud necis infandae, sed vitae nobile signum;
Scilicet hanc aram divino sanguine Christus
Sacravit, veterisque lubens Pater immemor irae,
Delevit noxas hominum et caelestia pandens
Exulibus regna, amissos reparavit honores.
Te cupio, me iamque meo tu redde Magistro;

Tu misero generi certae spes una salutis;
Tu mihi perfugium, tandem tu meta laborum.
Quis mihi tantus honos ut eadem sorte Magistri
Perfruar? id saltem nos sit discriminis inter
Unum, oro, tortor, revoluto ut vertice figar.
Haec dicens ibat firmo pede; iamque tenebat
Summa iugi, atque ardens caro dabat oscula trunco.
Tum matrum exoritur gemitus clamorque virorum:
O Pater, o Pastor, caelestis Claviger aulae,
Te serva, te, namque potes, his eripe poenis.
Quid sine te miseris flet, Pater optime? nostrum
Tu dux atque auspex rebusque levamen in arctis:
Sic nos, sic pressos curarum mole relinquis?
Talibus orabant dictis fletusque ciebant;
Christiadum ingenti fervet pia turba tumultu
Et facile insontem morti rapuisset; at ille
Obsecrat exortem ne se velit esse triumphi.
Tum Pater omnipotens, divumque hominumque Creator,
Concilium caeli vocat omne, e sedibus altis
Ianiculum monstrat spirantemque arbore Petrum,
Qui licet affixus versa cervice, Magistri
Pergit obire vices curamque explere docendo,
Immemor ipse sui poenaeque oblitus acerbae.
Christiadae vocem denso agmine circumstantes
Aure bibunt avida; sed largo flumine sanguis
Effluit interea terebratis cuspide plantis,
Defiunt vires, pallor suffunditur ore,
Vox haeret, magnam morienti lumine Romam
Aspicit extremum: pro te, mea Roma, supremis
Exorat Patrem precibus; dein pectore toto,
Oh! Christe hanc animam tandem, precor, excipe, clamat.
Dixerat: Aligeri volitantes robora circum

Concelebrant laeti choreas et carmine plaudunt,
Dum Petrus efflaret vitam: iunguntur et illis
Pennigeri iuvenes, qui celsa ad sidera Paulum
Absumptum nuper gladio comitantur ovantes.
Caelicolas inter rutilanti luce coruscus
Christus adest, hilarique ore aspectuque decoro
Obvius it geminis; portae panduntur olympi,
Excipit Heroum caeli magna aula triumphum.

Haec ego romana Petri de sede canebam,
Quum tenet hanc Pius, atque, decem post saecula et octo
Iam revoluta, Petro solemnem instaurat honorem
Plusquam alias: Christi grex omni e litore Romam,
Pastoresque sacri approperant, densaque corona
Pontifici Patres astant quos purpura cingit.
Hos inter, licet immeritum, me maxima Roma
Tempore post longo atque extorrem excepit alumnum:
Tunc, Petre, versiculos, devoti pignus amoris,
Quamvis parva tuo referebam dona sepulcro.

ANNO MDCCCLXX

ADNOTATIONES

V. 10 *Unganturque olea etc.* — Sacramentum Confirmationis, datum ad roborandos futuros Martyres.

V. 11 *Divino, frugum sub imagine etc.* — Sacramentum Eucharistiae, quod tempore persecutionis etiam in privatis christianis domibus custodiebatur.

V. 14 *Candidus orator etc.* — Romani milites christiani, utpote qui facilius suspicionem omnem effugerent, frequenter mittebantur, datis epistolis, praesertim ab Ecclesiae Pastoribus.

V. 19 *Novi egomet fratres etc.* — Martyrol. rom. die 19 iunii: Mediolani SS. Martyrum Gervasii et Protasii fratrum, ex quibus priorem tamdiu iussit Astasius iudex plumbatis caedi, quousque spiritum exhalaret; sequentem vero fustibus caesum capite truncari.

V. 20 *Sancta parens etc.* — S. Valeria.

V. 23 . . . . . *Vitalis divite etc.* — Pater SS. Gervasii et Protasii.

V. 29 *Ad dum Marcomanis romana Astasius etc.* — Astasius dux belli in Marcomanos.

V. 49 *Vitalis primum etc.* — Martyrol. rom. die 28 aprilis: S. Vitalis, qui quum Beati Ursicini corpus sublatum honestate debita sepelisset, post equulei tormenta iussus est deponi in profundam foveam, et terra ac lapidibus obrui.

V. 64 *Nazarium, poscit quae sors etc.* — Martyrol. rom. 28 iulii: Mediolani natalis SS. Martyrum Nazarii, a Beato Lino baptizati, et Celsi pueri, quos Anolinus sub rabie persecutionis, quae per Neronem excitata est, diu maceratos et afflictos in carcere, gladio feriri iussit.

V. 67 . . . . . *iam Gallia viderat etc.* — Beati Nazarius et Celsus in mare deiecti mirabiliter evaserunt. Postea Mediolanum venientes, quum ibi Christi fidem disseminarent, ab Anolino praefecto capite plectuntur.

V. 101 *Rursus epistolium etc.* — Poeta breviter perstringit sententias secundae S. Petri epistolae, quae quum ab ipso in extremo vitae tempore conscripta sit, veluti eius testamentum habetur.

V. 156 *Heu urbs infelix etc.* — Excidium Hierosolymorum, quod accidit anno christiano LXX.

V. 168 *Haec te praemonuit etc.* — S. Luc. Cap. XIX, v. 43, 44: Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique. Et ad terram prosternent te et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem.

V. 166 *At quinam flammarum aestus etc.* — Incendium templi hierosolymitani.

V. 189 *Namque palatina etc.* — Celeberrima in Palatino bibliotheca.

V. 191 *Acta diurna sequi etc.* — Id quod vulgo hodie dicuntur: Giornali.

V. 206 *Ast media in silva etc.* — Significantur christianae virtutes, quae, quamvis latenter, Romae florescere incipiebant.

V. 224 *Turrenum Tuscumque etc.* — Turrenus, Tuscus, Mamertinus erant vici Romae prope Forum ad radices Capitolii.

V. 233 . . . . . *medioque Foro tua signa coronat etc.* — Colossus Neronis in medio Fori.

V. 305 *Dura silex etc.* — In templo Sanctae Mariae Novae ad Forum prostat saxum impressis genibus, ut fert traditio, S. Petri orantis, quum Simo Magus per aera a daemonibus tolleretur.

V. 364 *Excessu rapior mentis etc.* — Hoc delibatum est ex aurea opella clarissimi Viri P. Ioannis-Iosephi Franco e Societate Iesu cum titulo: Simon Pietro e Simon Mago, Leggenda.

V. 377 . . . . . *cingit sua tempora Caesar etc.* — Constantinus Imperator.

V. 379 *Saecla fluunt duodena etc.* — Templum Vaticanum, quod conditur amplius atque ornatius ineunte saeculo XVI.

V. 388 . . . . . *ingenuae nidum posuere columbae etc.* — Sanctimoniales feminae.

V. 397 *Quin pietas inopum etc.* — Plura ac varia christianae urbis Romae egentium ac miserorum hospitia.

V. 408 . . . . . *nostro fumant ubi Caesaris horti etc.* — Templum vaticanum positum est in ea valle, ubi, tempore Neronis, horti et Circus tot Martyrum palaestra erant.

V. 439 *Hic fidei morumque novos etc.* — Novi christiani heroes a Pio Papa IX albo Sanctorum inscripti.

X. 441 *Quodque erit in populi votis etc.* — Dogmatica definitio Virginis Immaculatae.

V. 443 *At subito densis horrescit etc.* — Impium anni MDCCCLXVII in Urbem et Pontificem perditissimorum hominum bellum.

V. 458 . . . . . *ecce autem excussa etc.* — Excidium Stationis militum prope Vaticanum, vulgo: Caserma Seristori.

V. 468 *Ereti muri, vos etc.* — Bellica facta anni MDCCCLXVII variis in locis habita.

V. 473 *Sic etiam . . . . . rex barbarus olim.* — Attila Hunnorum rex, cognomento Flagellum Dei, cui occurrit S. Leo Magnus, quum traiicere copias pararet, ubi Mincius in Padum fluit, eiusque suasu in Pannoniam revertitur.

V. 482 *Concilium venerandum etc.* — Oecumenicum Vaticanum an. MDCCCLXIX.

PARTHENIADOS

LIBRI III

PARTHENIADOS

LIBER PRIMVS

ARGVMENTVM

In novo Templo Hierosolymorum, post captivitatem babelicam a Zorobabele exaedificato, seiunctis aedibus degunt puellae virgines Hebraeorum, quae in mosaica lege institutae vacant precibus et variis manuum operibus sacro cultui inservientibus. Has inter sancta Parthenis puellula, post tertium aetatis suae annum, adnumerata, operatur et orat; quumque eximia virtutum exempla dedisset, omnium amorem et obsequium sibi comparavit. Die vigesima prima mensis novembris, quae est anniversaria Parthenidos ad templum praesentatae, quaedam Debora, una ex puellis, munusculum veli nuptialis exhibendum praeparat, sed aliae puellae huius memorandi diei oblitae, quum nihil haberent quod offerrent, Deum precantur ut illis aliquid suppetat, ad amorem suum tantae Virgini significandum. Favet Deus orantibus; et subito in quodam prato templi aedibus adnexo, plantae ac flores varii miris in modis adolescunt, ita ut triplex florea corona ipsi Virgini possit praeberi. Interim Anna, vates octogenaria, invisens gynecaeum, Messiam venturum propediem esse affirmat, et praeclarum factum sacerdotis Zachariae commemorat. Noemi, quae coetui puellarum praeest, Annae dictis astipulatur, et de Christo prophetias etiam recenset. Interea rumor exurgit, iuxta morem Iudaeorum, Parthenidem, iam quintum decimum annum attingentem, nuptui proxime traditam fore; et Debora nuptiale stragulum pro sponsis a puellis ipsis conficiendum designat. Mense *Casleu* sacri anni Hebraeorum, in templo solemnia Dedicationis seu Lustrationis, ab Iuda Machabaeo statuta, instaurantur. Simeon senex, solemnibus hisce assistens, e splendore a velato capite Parthenidos emicante omen accipit et ex animo laetatur.

Hunc mihi supremum da, Parthenis alma, laborem,
Et te si primum cecinit mea musa dolentem,
Denique laetantem canat; et quum templa morantur
Te solymaea, et quum sibi foedere iungit Ioseph

Virgineus: miro sic ordine prodit ab alvo
Intacta aeterni Proles aeterna Parentis,
Exuviis induta hominum, peccantis Adami
Solveret ut poenam, et generi reseraret olympum.
Qui sanctam implesti sancto de germine Sponsam,
Huc adsis, vatemque sacro succende calore,
Dive Amor, ut carmen tanta sit Virgine dignum.
Tu quoque, Christiadis veri rectique Magister,
O Pater et Princeps, humiles ne despice cantus,
Solamen curis, tristi quo tempore tecum
Verrimus adversum ventis agitantibus aequor:
Te duce sed tuto dabitur considere portu.
Templum erat antiqua sub religione verendum;
Restituit primum Solymis, ubi liber Iudas
Finibus assyriis abiit patriamque revisit,
Zorobabel: illi nam quae Babylone supersunt,
Vasa dabat Cyrus, phialas, fulvo aere lebetas,
Et cultros cyatosque, auratisque aspera signis
Cymbia, quotquot erant templi ornamenta prioris.
Ergo opus Isacidae instaurant, sed callidus astu
Subnectit fraudes Samarita atque omnia miscet.
Tunc virtus manifesta Dei, tunc monstra sequuntur.
Namque improviso candelabrum, ignibus ardens
Septenis, visum est binis circumdari olivis
Hinc atque hinc, sacrae quae praebent pabula flammae.
Quae sibi tanta velint miranti pandit Iudae
Penniger e caelo missus: tunc impiger ille
Insequitur coeptum: cedrus cadit icta securi,
Ardentes instant operi; pars ducere muros,
Pars lapides conferre gravesque aptare columnas.
Nec tamen hostis abest; sed laeva in bella paratus
Scuta tenet Iudas, dextra fabriliaque arma:

Sic favet ipse Deus, sic tandem absolvitur aedes,
Quae vatum ominibus longe felicior illa
Dicetur, quam olim congesto Davidis auro
Extulerat Salomon; quae etenim visura Parentis
Aeterni Sobolem aeternam: iam iamque propinquat
Illa dies, almam qua divum Flamen obumbrat
Parthenidem, dudum quae sacrae est incola sedis.
Hic etenim cellae plures seiunctaque tecta,
Quo nulli se ferre datum est, quae visere nulli,
Degit ubi sequior sexus, lectissima pubes;
Non intermissae voces et vota precantum
Et studia in Mosis leges operumque labores.
Est pars quae tenui deducit stamina filo
Stupea, dum celeri detorquet pollice fusum;
Est et arundineo quae versat turbine lanam
Volvit et in globulos, aut levia vellera carpit;
Et nunc illimi lotura abstergere fonte
Panniculos vel lina, boum maculata cruore,
Aut hoedum, pleno siccandaque pandere soli.
Illa parat cererem, ut calidos supponere mensae
Rite queat panes (Mosis sic iussa) sacerdos;
Haec phrygio depingit acu velamina ephodque
Auro contextum, cinctus quo maximus adsit
Antistes populo coram et solemnibus aris.
Haec opera: hinc nostras mos asservare puellas
Et claustris sepire, cava velut arce columbas
Turris inaccessae, accipitrumque ex ungue tueri.
Ergo ubi Parthenidem quartus iam ceperat annus,
Et patrias aedes ultro dulcesque parentes
Destituens, se tota Deo temploque dicarat,
Quis referat lacrimas, imo quis corde dolores,
Anna, tuos, Ioachime, tuos, quum tale tulistis

Discidium, Gnatae comites ad limina templi?
Sic placitum superis urget, sic dia voluntas.
At caelorum ignes inter ceu luna minores
Emicat, haud aliter praestat iesseia Virgo
Isacidas omnes: sanctae quod conferat aedi
Nil refugit, nil vile putat, quin et prece multa
Exorat Patrem superum ut mittatur ab alto
Quem sacri vates tandem mortalibus aegris
Venturum cecinere, Deus patribusque spopondit
Servatorem hominum, primi qui crimen Adami
Deleat et miserae soboli caeli atria pandat.
Nam se quantumvis ab origine sentiat omnis
Expertem labis, fallax nec ludat imago
Mentem aequam, stimulis nec cor iactetur iniquis;
Nulla ipsi culpa hinc; tamen haec ploratque doletque
Quae post falsam Hevam nobis nimium aerumnosis
Obvenere mala insidiis et fraude draconis.
Interea, aspirante Deo, quae carmina scripsit
Iessides atavus, recolens, haec ore precatur.
Oh! quae deliciae mihi sunt tua templa tuaeque
Sedes, alme Deus, quantoque exuror amore
Ac prope deficio, Solymae dum me tenet aula!
In te mens animi toto nam pectore gestit.
Quandoquidem passer latebras, ubi ponere fetus
Turtur et invenit: quin terque quaterque beati,
O Deus o et Rex, tua queis altaria nidus,
Queis datur aeternum cantu tibi dicere laudes.
Felix ille, iuvas summo quem numine, quemque
Has inter lacrimis virtutis tollis ad altum:
Quippe, Deus, bona cuncta dabis, si iussa dedisti,
Virtutesque homini infirmo virtutibus addis,
Teque ipsi tribuis manifesta luce videri.

Omnipotens, mea vota, Deus, Deus excipe Iacob,
Excipe et ora tui, praesens Deus, excipe Christi:
Plusquam mille dies tecum mihi carior una est.
Et magis abiectae sacra lubet aede morari,
Quam dites habitare domos aulasque nocentum:
Nam Deus est veri, Deus est pietatis amator,
Nobis omne bonum, tanto qui numine freti,
Et pace in terris et potiemur munere caeli.
Talibus orantem dictis gemitusque cientem
Sol videt, aequoreas vel se reclinet in undas
Vel caput extollens collustret lampade mundum.
Quumque dies, templum qua Virgo ingressa, rediret,
Alma dies, quam iure simul celebrare puellis
Mos erat; oblitas (fluxa nam mente iuventus)
Debora sic acuit dictis affata sorores:
Ah quaenam tenuit vestras oblivio mentes!
Nonne dies istaec luxit, qua Parthenis alma,
Uni oblata Deo, nostro comes addita coetu est?
Sic vestro, sic illa dies e pectore fluxit,
Qua primum hos ingressa fuit bona Virgo recessus,
Digna dies memoratu et quae nullo excidet aevo?
Ipsa, fatebor enim, secreto parta labore
Tenuia dona feram, mecum quae condita servo.
Ante oculos stat enim, quum sancta Puellula scalas
Ascendit templi celeri pede: rite parentes
Hinc Anna, hinc Ioachim lacrimis comitantur obortis:
Ipsa alacris, ceu mane polo quae stella refulget,
Indignata domos hominum sacra limina scandit.
Plurimus occurrit Solymorum ex aede sacerdos;
Huic longa ad talos vestis candore nivali,
Fascia purpurea et lumbos hyacinthina stringit,
Mitra caput tenui velat mundissima lino:

Funditur atque agni cruor, et conspergitur ara
Ture calens; prunis ardentibus emicat ignis
Insuper effusis oleo. Sic hostia summo
Offertur pergrata Deo; dat buccina cantum
Clara sacerdotum; proiecti corpora terrae
Procumbunt omnes, superique in vota vocantur.
Haec animo recolo, memori sub mente recondo:
Vos tamen immemores munuscula nulla paratis.
Quid dabitis, vestri referat quod pignora amoris?
Huic similem nullam tantis virtutibus auctam
Vidimus hanc coluisse domum, incessuque habituque
Namque patet plusquam mortali e semine creta:
Infracto nusquam gressu gestuque soluto,
Quo pergit, quo sistit amabilis ore sereno:
Haud aliter suavem circum undique fundere odorem
Florens in Iericho rosa, seu vernantibus hortis
Lilia plena solent, humilis seu germina nardi.
Si loquitur, quasi mella fluunt, non insonat auras
Vox hominum, verbis sed parcior, et prece multa
Exorat superos, somnosque abrumpit et alta
Nocte gemens curvata genu pia vota recenset:
Tanta hominum nunquam virtus in imagine fulsit!
Debora sic fata: assensu plausuere sorores:
Parthenidi cunctis amor idem; et tempora tundunt
Oblitae palmis; agitant quo munere sensus
Cordis quaeque suos promant, nil suppetit illis:
Obnixae genibus superos et multa precantur.
Audit at orantes Deus et miracula prodit.
Nullus erat lucus templi et viridaria nulla:
Diruerat pius haec Iosias, quum sceptra teneret;
Quandoquidem Iudae reges confinia sanctae
Polluerant sedis, et dis fallacibus arbos,

Externos referens mores ritusque profanos,
Olim surgebat circum nutantibus umbris.
Sed nunc pràta nitent breviora, ubi lecta iuventus
Parthenidum se ferre solet, missoque labore,
Perfruitur caelo meliore et mollibus auris.
Ecce autem monstrum: quantumvis mense novembri
Instet hiems, foliisque cadentibus horreat arbos
Reddat et exuvias terrae; mirabile visu!
Apparent subito fetus, quasi rorida tellus
Vere novo varios certaret promere flores.
Miratur pubes: nullis hic lilia spinis
Splendescunt tutata, rosa hic effundit odores,
Pulcra nimis, nec visa alibi rubicundior unquam;
Pallentes violae, cyparissi hic virgula crescit,
Et palmae et cedri redolent et aromata multa:
Cinnama pubescunt et fulvae germina myrrhae
Galbanaque atque storax, medium iucunda per ignem:
Tu quoque, narde fragrans, firma radice virescis,
Quamquam humilis, simulas altae virtutis amorem.
Prodigio obstupuit pubes, atque inscia sensus
Arcani, properat miro componere fetu
Sollerti nova serta manu; Deus ipse legentes
Et iuvat, ut vario nectant de flore corollas.
Quinquaginta rosas etenim pars tertia praefert,
Altera pars totidem violas aut murice rubras
Sanguineo aut nigra interdum ferrugine pictas;
Ultima pars totidem redolentia lilia vincit.
Dona dabat sacros pubes referentia sensus.
Explicat hinc sociis niveum quod Debora velum
Parthenidi tacito confecerat ipsa labore,
Argento ac auro miranda vermiculatum
Arte Tyri: divae summo de vertice Sponsae

Defluet ad talos, levibus ludibria ventis,
Quum prope iam nodos dabitur celebrare iugales.
Ecce autem ad sedes, quo sese ferre solebat,
Anna venit, longo vates spectabilis aevo:
Haec coniuncta viro septem iam vixerat annos;
At dudum viduata, diu noctuque fatigat
Sollicitis precibus caelum et ieiunia servat;
Saepius invisit iuvenes, et fausta salutis
Dat monita optatumque Deum canit esse propinquum.
Ergo ingressa semel, felix sic ora resolvit:
Iam, laetae o iuvenes, caelo lectissima proles,
Expectata dies properat; promissus ab astris
En Deus adventat; felicia tempora currunt.
Certa fides, nec spes animum mihi frustrat inanis:
Incipiunt miranda Dei; haec mea figite dicta.
Zacharias, cui sorte datum, penetralia templi
Sancta, velut mos est, nullo comitante subibat.
Aureum ubi fulget gemmis altare coruscis,
Nuncius apparet dextra candentibus alis,
Ore relucenti, qualis solet usque videri
Aetherius iuvenis, quum terris missus ab alto
Visitur, Omnipotentis enim mandata facessit.
Obstupuit visu senior trepidusque cucurrit
Membra pavor: placido vultu sic Aliger infit:
Pone metum, nec enim tristis tibi nuncius adsum.
Annuit Omnipotens votis, quae tempore longo
Moerens ad caelum sterili cum coniuge fundis:
Quantumvis aetate gravis sterilisque senecta
Elisabeth, sancta faciet te prole beatum,
Ioannis cui nomen erit; quum luminis auras
Hauriet hic, multas tentabunt gaudia mentes.
Oh felix proles! talem nec saecla tulerunt,

Neve ferent unquam, quae fama terminet astris;
Nam quotquot fuerunt vates, qui carmine sacro
Praemonuere Deum mortali corpore cinctum
Venturum in terras, vincet, nemorumque recessus
Incolet, atque cibus silvestri melle locustae;
Pocula sanguineis non illi pressa racemis
Nec sicerae, sed lympha sitim de fonte levabit.
O iterum felix! ipsa quae matris in alvo
Concipiet tantos divini Flaminis ignes,
Ut nullo vivat pollutam crimine vitam.
Mentem animumque gerens vatis super aethera curru
Ignivomo vecti, componet pace parentes
Et gnatos, Mosis leges et iussa docebit:
Abramidis hominem mirantibus aspera vitae
Sectantem et populos tingentem flumine sacro,
Abstergentem animi labes veniamque precantem.
Dixerat haec Gabriel: posita formidine fatur
Zacharias contra: Quae das mihi pignora dictis,
Penniger alme, tuis? Carae iam coniugis anni
Defluxere, mihi venit quoque tardior aetas.
Quae spes prolis erit, senibus quum corpore vires
Deficiant, nec restet adhuc nisi funus utrisque?
Tum Puer aetherius, Tibi missus nuntius, inquit,
Sumque egomet Gabriel, altis qui sedibus adsum
Aeterni Patris et mandata capessere dignor.
Signa dabo, quum signa petis; dehinc voce carebis
Usque tibi, eventus donec ferat exitus ingens.
Talia sacratae cellae dum parte recessus
Eveniunt, stipata frequens stant atria circum,
Tam longae quae causa morae sit nescia turba,
Mussitat atque animo dubitanti plura volutat.
Ecce autem senior post tura incensa sacerdos

Egreditur, subito munus cui vocis ademptum.
Circumstant venientem omnes, expromere signis
Conatur mentem, verbum nec promit ab ore.
Obstupuere: domum, sacris ex more peractis,
Zacharia redeunte, impletur Principis omen
Siderei: Elisabetha insueto sentit onustum
Pondere namque sinum, quamquam suffusa rubore
Haec abdit, tacitoque Deum sub corde precatur.
Scivi equidem, et quae signa ferunt praesagia nosco:
Lucifer ut caelo noctis quum dimovet umbras,
Ecce dies; sic iste puer, qui nuntiet ortu
Felici eventurum hominum superumque Satorem.
Talibus enarrans octogenaria vates,
Spem fovet; assentit verbis operosa Noemi,
Laeta puellarum templi cui credita cura est.
Evolvens veterum signata oracula patrum,
Fatidici maturat, ait, iam carminis aetas,
Qua lapso fas est homini sperare salutem;
Praeclarum effatum memorat morientis Iacob,
Bissenis quando gnatis bona cuncta precatur.
Et veniet Servator, ait, vix advena regis
Summa geret, Iudas alienaque sceptra subibit.
Tum septem decies volventur tempora vatis,
Quum vincla abrumpet populus Solymamque redibit,
Captivis et magna resurgent templa ruinis.
Sic cecinit Daniel. Veteri haec felicior aedes,
Praemonet Aggaeus, missam quod ab aethere summo
Divinam excipiet mortali corpore Prolem.
Et vates addit Malachias: tum hostia magno
Grata Deo cunctis oblata est finibus orbis.
Et Morasthites: Bethlem, sis parvula quamquam
Inter iudaeas, invicti ob Principis ortum,

Maior eris Solyma et praeclarum nomen habebis.
Praescius Isaias Iudae tunc gentibus infit:
Per loca deserta inclamans vox personat alte:
Instaurate vias Domino, namque aspera planum
Fiet iter, rectus transversaque semita callis.
Haec alia atque alia antiquis oracula chartis
Credita sub memori relegebat mente Noemi;
Parthenis et comites laeto simul omine gaudent,
Intenta ora tenent auditaque pectore versant.

Sed quartum Virgo decimumque expleverat annum;
Inde oritur rumor iudaeo more propinquo
Iungendam breviter; regali e germine quaeri
Delectum iuvenem, stabili cui tradere nuptam.
Una omnes igitur statuere iugalia dona
Parthenidi, thalamum contexto tegmine pingi.
Debora, quae primum dictis pungebat amaris
Immemores socias, stimulos nunc omnibus addit,
Et designat opus, tales bene scita labores,
Et tribuit partes: accensa mente puellae
Haud segnes operantur, amor nam Virginis urget.

Interea Solymis cultu quoque templa resultant
Festivo, sacer Abramidum nam volvitur annus;
Ecce dies mensis rediit, quem nomine Casleu
Hebraei dicunt; solemnia namque quotannis
Instaurant aedis, partis memoranda tropaeis.
Sic docuere patres: Solymorum urbs undique tota
Gestit ovans, populusque ingentia facta recenset,
Tempore quo, Syriis victis, Machabaeus Iudas
Longum intermissos templi renovabat honores;
Namque increbuerat rumor terramque per omnem
Circum ierat Iudae, fato cessisse supremo
Antiochum, qui colla iugo atque hostilibus armis

Presserat Hebraeos, multosque sacraverat orco:
Tum festos renovare dies, tum templa subire
Plebs iucunda, Deo meritas et solvere grates.
Haec ubi rescivit, rabida rex aestuat ira,
Iurat et ulcisci: Celeres date tela, ministri,
Inclamat, mora nulla, animis evertere gentem
Stat Iudae, magnis Solymas aequare ruinis.
Sic ait: extemplo Syriorum exercitus omnis
Instruitur, peditesque leves equitumque catervae
Invadunt urbem: infelix quid posset Iacob?
Luctus ubique, pavor, facies et plurima leti.
Heu venerandae aedes, sacrata heu limina! fando
Quis memorans ausus obscenaque crimina gentis
Temperet a fletu? Prohibes cur nubibus ignes,
Magne Deus? propriamne domum patieris inultam?
Et tibi quae soli iam tingitur ara cruore
Haedorumque boumque, Iovis spectabile signum,
Heu scelus! attollit, quod turpia tura vaporant.
Uritur his Machabaeus et imo corde dolores
Tristis alit, Syrii leges exosus iniquas
Effugit et patriam, et sese altis montibus abdit:
Urget enim patrum pietas, venerandaque Mosis
Iussa tenent suadentque omnes subiisse labores.
Sed rediit virtus animis, et Numine fretus
Iudas arma parat, quantumvis viribus impar:
Et favet Omnipotens, volitat victoria palmis.
Tunc Iudas, Pergamus, ait, Solymamque iacentem
Lustremus, patriis purgetur ritibus aedes.
Assensu fremuere omnes, nam pectora vexat
Religionis amor fervens et cura suorum:
Desertasque stupent sedes urbemque relictam,
Incensos circum postes, altaria cultu

Foedata infando, dumosis horrida spinis
Qua loca sancta patent, disiectaque tecta ruinis.
Exoritur planctus, ferit altus sidera clamor,
Abscissae vestes, turpes et pulvere crines:
Interea quo bella vocant dant cornua cantum.
Armigeri cito templum inter Davidis et arcem
Castra tenent, ut opus tueantur, fortis Iudas
Quod iubet actutum fieri: manus impigra mystae
Atque hominum selecta cohors arbusta rubosque,
Ut nullus nemori locus aut silvestribus herbis,
Neu delubra deum referat domus alta Potentis,
Avellit, saxisque solum detergere certat
Et congesta foras iacit; at quae sanguine foeda,
Tota ubi suppositis incenditur hostia flammis,
Funditus ara ruit; delectis altera saxis
Extruitur, quae digna Deo libamina sumat
Incestique Iovis ritus oblitteret omnes.
Tum quoque vasa parant, phialas, ex aere lebetas
Ingentes, cyathosque, novo et molimine complent
Tecta sacerdotum, ac sacris quaeque apta ministris.
Apponunt mensae panes, funalibus ignis
Et candelabrum manifesto lumine splendet.
Ornantur scutulis portae, auratisque coronis
Effulget templi facies; tum carmen ad aethram
Tollitur, et toto procumbunt corpore terrae.
Orantem Iudae populum supereminet inter
Ordo sacerdotum, proprio spectandus amictu,
Leviticum decus; haec, duce et auspice Mose, iubebat
Ipse Deus, longus quando Chananitidis error
Moribus Aegypti purgaret semen Iudae.
Cervices ornat cidaris, tunicaeque nivales
Membra tegunt, bicolor renes cinctura revincit.

Emicat ante alios, regeret quum summa sacrorum,
Zacharias: albae distinguunt addita vesti
Pallia, quae decorant aeris crepitacula fulvi,
Muricis alternis globulis, specieque hyacinthi;
Balteus astringit pictisque coloribus artus,
Byssinae et effulgent capiti decora alta tiarae.
Ast insignis ephod ex vellere pendet utrumque
Ad latus e collo ac humeris et pectora cingit;
Bissenae rutilae gemmae, pretiosa supellex,
Bissenasque tribus referunt felicis Iacob:
Ast Urim et Thummim, quae magni Numinis olim
Abramidis responsá dabant, tacuere, nec ultra
Exaudita solo, postquam disiecta ruinis
Templa cadunt, syrio et victori subditur Abram.
Talia, quae Iudas statuit solemnia primum,
Isacidae recolunt alacres: plebs affluit omnis.
Nec tamen arcetur noster chorus incola templi
Virgineus, patriis quin et solemnibus astat,
Et palmas memorat, genti et sua gaudia miscet:
Pergula namque patet, qua porticus alta recursat
Opportuna loco: seiunctim hic innuba pubes,
Cui niveae tunicae, et redimicula corpore pendent,
Hasque inter, dilecta Deo, sedet inclyta Virgo.
Forte aderat Simeon, grandi spectabilis aevo,
Observans aequi, superos qui tempore longo
Urgebat precibus, genus ut mittendus ab alto
Solveret a noxa, nec obiret fata, priusquam
Cerneret hunc, et certa fides, Deus ipse spopondit.
Ergo senex populo immixtus, dum sacra sacerdos
Summus agit, magno volitantem lumine flammam
Miratur; tandem duodenas fingere stellas,
Uni ex virginibus caput et circumdare serto.

Ipse stupet, faustumque animo capit inscius omen.
Sancte senex, laetare; dies iam iamque propinquat,
Felix ille dies! quem longa aetate moraris
Servatorem hominum, stirpis tutamen Adami,
Ipse tuis cernes oculis, circumdabis ulnis
Dulciaque Infanti libabis suavia mille,
Has exultantes erumpens pectore voces:
Nunc, Deus, aeterno claudantur lumina somno,
Nunc et pace fruar: vidi quod vota precesque
Poscebant: haec una salus, haec gloria Iudae;
Diffugiunt tenebrae, toto lux orbe refulget.

ADNOTATIONES

V. 2 . . . *cecinit mea musa dolentem.* — Auctor primum edidit, anno MDCCCLXIII, libellum elegiarum: De D. N. Maria Perdolente.

V. 15 *Verrimus adversum ventis etc.* — Auctor sacra poemata scripsit ad aliquod aegri animi solatium, ob mala quae religioni et humanae societati luctuosis hisce temporibus obvenere.

V. 21 *Vasa dabat Cyrus etc.* — Sacra templi vasa Cyrus ipse restituit Zorobabeli. Hic templi fundamenta iecit, et Domini cultum et consueta sacrificia instauravit (I Esdrae C. II, v. 3).

V. 24 . . . *sed callidus astu Subnectit fraudes Samarita.* — Diutius eo opere intermisso, Aggaeus et Zacharias prophetae Zorobabelem et Iudaeos ad opus perficiendum excitarunt (Aggaeus et Zach.).

V. 28 . . . *binis circumdari olivis etc.* — Summo sacerdoti a Domino duabus olivis circa aureum candelabrum templi ostensis, Angelus ad explicandam Prophetae visionem missus, ait, duabus olivis oleum candelabro suppeditantibus principem Zorobabelem et Iesum, filium Iosedech, pontificem, significari.

V. 44 *Hic etenim cellae plures etc.* — Puellae Hebraeorum quae morabantur in templo, orationi vacabant, sacrificiis assistebant, quae mane et vespere fiebant, et in lege Domini institutae quotidie meditabantur.

V. 88 *Oh! quae deliciae etc.* — Psalmus LXXXIII: Quam dilecta tabernacula tua etc.

V. 144 *Namque patet plusquam mortali etc.* — S. Ambrosius in Libro de Virginibus.

V. 161 *Nullus erat lucus templi etc.* — Rex Iosias abstulerat a templo ritus omnes profanos, quos inter sacri luci adnumerabantur (IV Regum, C. XXIII, v. 4).

V. 170 *Ecce autem monstrum etc.* — Flores et plantae, Virginis Mariae symbolicae (Ecclesiastic. C. XXIV).

V. 187 . . . . . . *vario nectant de flore corollas etc.* — Adumbratur Rosarium seu precatio quae dici solet in obsequium Mariae Virginis.

V. 199 *Ecce autem ad sedes etc.* — Anna prophetissa, quae non discedebat de templo (Lucas C. III, v. 37).

V. 279 *Praeclarum effatum etc.* — Genes. C. XLIX, v. 10.

V. 283 *Tum septem decies etc.* — Dan. C. IX, v. 24.

V. 286 . . . . . . *Veteri haec felicior aedes etc.* — Aggaeus C. II, v. 10.

V. 289 *Et vates addit Malachias etc.* — Malachias C. I, v. 11.

V. 291 *Et Morasthites etc.* — Michaeas C. V, v. 2.

V. 294 *Praescius Isaias etc.* — Isaias C. XL, v. 3.

V. 313 *Interea Solymis etc.* — Mensis Casleu, qui erat nonus ex mensibus sacri anni Hebraeorum, ferme respondet decembri. Fiebant tunc Encaeniae, seu festum Dedicationis et Lustrationis, ab Iuda Machabaeo peractae, ut videre est in I Machab. C. IV.

V. 399 *Ast Urim et Thummim etc.* — Per haec antiquitus divina oracula Hebraeis dabantur.

V. 405 *Nec tamen arcetur etc.* — Puellae virgines sacrificiis astabant. Vide II Machab. C. III, v. 19: Sed et virgines quae conclusae erant etc.

V. 428 *Nunc, Deus, aeterno etc.* — Canticum Simeonis: Nunc dimittis etc.

PARTHENIADOS

LBER SECVNDVS

ARGVMENTVM

Deus trinus et unus cogit caelestium agminum coetum ante se. Raphael, idest Medicina Dei, condolet hominum infirmitatibus variis, et iis supernum implorat auxilium. Gabriel, Fortitudo Dei, humani generis gemit flagitia, itemque malis remedium ab Omnipotente expostulat. Denique Michael, Quis ut Deus, ob homines et etiam Hebraeos identidem in idololatriam lapsos indignatur, atque Dei opem promissam ut tanta mala avertantur exorat. Trias augusta oculos ad Virginem puellam in templo degentem demittit, eamque Pater aeternus dilectam Filiam, aeternus a Patre Genitus Matrem, et Spiritus Sanctus Sponsam sibi eligit. Chorus caelitum, cui consilium Dei patefactum est, gestiens laudes Omnipotenti persolvit: et Gabriel mittitur ad proceres Christum expectantes, ut eis nuntiet perbrevi tempore beatas sedes omnibus fore reserandas. Satanas novum aliquid contra se moliri suspicatur, et daemonem Abaddon sub specie Gabaonitis sacrae aedi inservientis mittit. Beati caelites eo temporis puncto Virginem, ut reginam suam, venerabantur, et Parthenis in mentis excessu virginitatem Deo ipsi vovebat. Abaddon repente a Michaele, caelitum duce, fugatur. Interim Simon summus sacerdos Parthenidem iuveni e sua tribu sponsandam diiudicat, et Virgo, re cognita, obtemperat summo sacerdoti et legi Iudaeorum, postquam percelebre prophetae Isaiae vaticinium sibi in sacris litteris occurrens, sic Deo ipso disponente, meditata est. Elisabeth degens in montibus Hebron, moerens ob loquelam a viro suo amissam, Eliae apparitione ac vaticinio recreatur.

Interea caelum video mihi pandier altum
Consilioque sedere Deum: qui primitus omnia
Evocat e nihilo Genitor Gnati atque hominum Rex,
Et par Progenies, amborum et Flamen amoris
Stat solio excelso, vestisque extrema sub ipso

Omne replent templum. Seraphim sex grandibus alis
Obvolvunt faciem et plantas promptique volatu
Perficiunt mandata, alterno et carmine Sanctum,
Ter Sanctum recinunt, uni cui gloria, virtus
Atque honor: intremuit domus et caligine fusa est.
Sedibus aetherii circumstant ordine cives
Agminibus ternis, totidemque phalangibus agmen
Dividitur; loca prima tenent qui Numinis alti
Assistunt solio flammisque uruntur amoris,
Hinc qui iussa Dei faciunt aeterna Cherubim,
Virtutesque Dei, superumque exercitus omnis,
Insignis facie et velox lucentibus alis.
Ergo Dei nutu, vix dum tacuere melodes
Caelestum laudis cantus, cuicumque facultas
Quum data sit fandi, Raphael his sensibus orsus:
Omnipotens, immense, mihi quum credita cura est
Pellendis hominum morbis, postquam atra veneno
Infecit mors omne genus, stipendia culpae,
Heu! doleo mala quanta, extremo funere donec
Oppetat: haud segni quum saepius ipse volatu
Omnes circum irem terras, horrentia vidi:
Quas clades quos et planctus vis morbida fundit!
Principio sunt quae sternuntur corpora leto;
Haurit enim ploratu infans vix luminis auras,
Occidit, et matris lacrimae miscentur obortae
Lacrimulis gnati; nec firmo corpore vires
Sufficiunt, iuvenumque virumque ast occupat artus
Et validos mors dira, priusquam putre sepulcrum
Maturae aetati pateat tristique senectae.
Sic hominum, sic vita fluit, ni falce minaci
Instet pestilitas et misceat omnia luctu:
Tum quodnam excidium, tum quotque miserrima cerno!

Turba catervatim funesta caede perempta
Abripitur: populosae exhaustae civibus urbes,
Et plenis passim proiecta cadavera campis,
Frigidaque exitio solvuntur membra priusquam,
Heu qualis dolor et qualis mens praevia leti!
Incensum fervore caput, praecordia flammis
Usta velut rabidis, suffusaque sanguine et igne
Lumina, siccatis ardentia faucibus ora;
Corporis hinc requies nulla est nullumque levamen,
Anxietas agitat, gelidaeque amor improbus undae
Praecipitare moras lymphis putealibus alte,
Mergere se properant miseramque abrumpere vitam.
Tabida vis alios caedit, seu viscera torquens
Immani morbo, pellem sive ulcere tetro;
Nec medici prosunt: Deus, ah! Deus aspice gentem,
Nempe tuum est opus, ah venias solamen egenis!
Haec, Medicina Dei, Raphael hucusque locutus.
Occupat hinc Gabriel, Virtus et fortis Iudae,
Et mala multa gemit quae post contagia culpae
Infecere homines: nec enim quae corpora tantum
Ingemit aut variis quae motibus aera vexant,
Tempestatem hiememque aut tristem temporis aestum
Fulguraque et gravidos dira cum grandine nimbos,
Sed quae flagitiis vitiisque cupidine caeca
Ipse sibi mortalis agit: si pace fruatur,
Indulget genio rapiturque infamibus ausis,
Magno corde tumet, laudum torquetur amore,
Argenti trahitur specie vel divitis auri:
Et si saepe ferox populos discordia scindat,
Vindictis odiisque furit, sibi fortis opum vi:
Gens ruit in gentem, clades et funera passim
Eduntur, multo recalent madefacta cruore

Flumina, terrifica miscentur et omnia caede.
Magne Deus, propera fluxis succurrere rebus
Et plagas lenire hominum, promissa dedisti
Et potis es: dictis socii assensere frementes.
Tum Michael, spoliis caelo praeclarus averni,
Insequitur, veteremque ducem indignatus abyssi,
Condolet aerumnis hominum et sic ora resolvit:
Hostiles postquam pulsae hinc cecidere cohortes,
Iuste Deus, toto stirpis potiuntur Adami
Imperio, et princeps incedit mundi hominumque
Invidus ille; iugo premit obstrictisque catenis
Humanum genus, et post discrimina vitae,
Servitium et postquam crudele et barbara iussa
Pertulit, infelix tenebrosa in tartara mittit.
Huic diro, scelus infandum! delubra tyranno
Tolluntur passim, passim tolluntur et arae
Ture vaporatae; nec tantum hoedumque boumque
Hostia multa cadit, verum et simulacra deorum,
Horresco memorans, humano sanguine fumant!
Quin etiam Abrami patrumque electa propago,
Quam sic aequus amas, quam praefers omnibus unam,
Ereptam et tantis bellique hominumque periclis
Felici per monstra dabas considere terra,
Te quoque posthabito, fallacibus impia tollit
Dis aras et templa infando et sanguine tingit.
Non animo prodest homini et ratione potiri
Consilioque uti, videt et meliora probatque,
Deteriora tamen suadet malesana cupido.
Omnipotens, exurge, Deus: ceu fumus in auras
Dispersi fugient hostes; fortissime, robur
Exere iam, Quisnam ut Deus? et fera vincula solve.
Principio, memini, caelis in imagine forma

Aligeris monstrata, daret per quam oscula paci
Iustitia et terris componeret omnia; formam
Pronus adoravi, veniet volventibus annis.
Tu sapiens, nullique datum penetrare recessus
Arcanos et quae tanto sub pectore versas.
Hic finis fandi Michael, omnisque caterva
Pennigerum demissa, alis velantibus ora,
Procumbit, placitumque Dei stat mente repostum.
At Pater et Proles genita et par Flamen amoris
Sublimi e solio solymaei ad limina templi
Demittunt oculos, hominum servata saluti
Degit ubi Virgo, magno rapiuntur amore;
Una haec deliciae superis, haec una voluptas:
Hanc Gnatam Pater, hanc et Matrem Gnatus amantem,
Eligit hanc Sponsam Flamen: sic foedera pacis
Sic et iustitiae. Proles aequaeva Parenti,
Ecce ego; me me, inquit, mittas, hominisque redempti
Sanctum opus aggrediar, mortali cinctus amictu,
Ipse luam scelerum poenas mortemque subibo.
Obstupuere: altum facinus vix noscitur, omnes
Aligeri paeana canunt, caelumque resultat
Laetitia ingenti; nam quae subsellia liquit
Hostilis legio, stellanti ut fulgur ab aula
Exturbata, novis tandem complentur alumnis.
Rursus et aetheriae una procubuere phalanges,
Velantes faciem pennis simul ore canentes:
Omnipotens, metuende Deus, tibi gloria soli
Et soli virtus et honos: regis omnia nutu,
Eruis e nihilo, tibi soli diva potestas
In caelum terramque, tuas tibi dicere laudes
Quis potis est? Unus sapiens, iustissimus unus,
Et bonus et clemens; fortis miracula dextrae

Qui facis, ingentemque alta de sede draconem
Sternis et aeterno damnas cruciarier igne,
Principis et mundi sceptrum teris, ima supernis,
Divina humanis socias, atque omnia comples.
Cantibus his superum coetus, qui sidere summo
Insonuere, preces miscentur Virginis almae,
Et veluti nubes incensi suavis odoris,
Numinis aeterni solio iucunda, feruntur:
Usque salus hominum sedet illi corde reposta.
At Pater omnipotens, animo cui cura remordet
Sanctorum qui dena suae per saecula vitae
Et quater exoptant reserentur ut ostia caeli,
Solari et cupidos avet exultare triumpho.
Mittitur ex alto Gabriel, ut nuntius iret
Felix ad proceres qui longo tempore Regem
Expectant superum, et votis ferventibus urgent
Ut tandem optati limen pandatur olympi.
Aerios rapido tractus secat ille volatu,
Lumine signat iter liquidum, ceu noctis in umbra
Decursu radiante cadentia sidera pingunt.
Est Asia in magna vallis; tellure sub ima
Spelunca alta, ingens, aditusque absconditus omnis:
Nulli nosse datum et nulli penetrare latebras;
Praetexunt arbusta hederaeque et plurima laurus,
Et platani virides obscuro tegmine cingunt:
Attamen hic requies animi nullique labores.
Non hic pallentes curae, non tristis egestas,
Nec metus aut dolor aut manibus mors atra cruentis:
Aurea sed pax, sed miti fiducia vultu
Et spes certa frui regnis quandoque supernis.
Hic sancti heroes habitant animaeque piorum,
Qui, quamquam ignari, vario discrimine vitae

Servatorem hominum praefingunt grandibus actis;
Et vates dia afflati qui caelitus aura
Eventura canunt, coeptus Hominisque Deique,
Supplicia et mortem immitem et miracula rerum.
Hic et qui, primi ob scelus exitiale parentis,
Arcentur caelo pueri ratione carentes,
Quotque suam claudunt ullo sine crimine vitam.
Omnibus idem ardor superumque arrecta cupido,
Ceu grex cervorum, quem longo errore viarum
Impiger et celeri cursu canibusque fatigat
Venator, sitiens frigentes expetit undas.
Huc laetus tendit Gabriel: vix paret in antro,
Gestit quisquam animis et lux insueta refulget:
Obstupuere omnes visu, nova gaudia mentes
Pertentant, iuvenemque citi stricto agmine cingunt.
Nunc memora mihi, Musa, viros ab origine mundi
Illustres qui dena quater per saecula magnam
Aeterni Sobolem praeeunt ingentibus ausis.
Primus Abel primi proles innoxia patris
Aspicitur, lectas puro qui corde bidentes
Offert dona Deo gratissima; lividus astu
Uritur hinc Cain fratremque obtruncat in arvis,
Horret et humano tellus infecta cruore.
Est Noas, hominum iustus tot millibus unus,
Immensis servatus aquis, quum e nubibus imber
Immanis ruit et fontes rumpuntur abyssi,
Culminaque effusis abduntur celsa sub undis,
Ulla nec apparet tellus, caelum undique et altum.
Melchisedechus adest, regali e stirpe sacerdos,
Thare satus comes est et foedere iunctus amico:
Obvius huic, turmas victor postquam ille fugarat
Adversas, summoque Deo cerealia liba

Obtulit et vinum, simul optima cuncta precatus.
Hinc genus antiquum Abramidum, sanctissima proles,
Isac et Iacob, qui maxima gentis origo
Selectae fuerant, quum stirps fallentis Adami
In peius nitens magnique oblita Parentis,
Impia numinibus scelerata altaria tollit
Atque imo scelerum coeno prolapsa residit.
Felices animas inter formosus Ioseph
Cernitur, invidia fratrum, dum vescitur auris,
Passus dura nimis: supremo munere tandem,
Praesidium veterisque patris generisque suorum,
Effulgens Phariis princeps ab rege secundus,
Emicat. Et magnus Moses, qui ductor et auspex
Isacidas pressos vinclis fractosque labore
Per medios servat fluctus perque aspera bella,
Ut pingui Chanaan tandem regione potiti,
Uni tura Deo dedant solemnibus aris.
Regius et vates, cithara qui nobilis aurea
Grandia gesta canit venturi Numinis, et quae
Supplicia horrendamque necem molitus Iudas;
Carmina quae septem replent discrimine vocum
Templa Dei, totum nunquam intermissa per aevum.
Fortunatorum coetu duo nomina deerant,
Thesbites et Henoch; hic nam prior invocat orbi
Tutamen columenque Deum mortalibus unum;
Alter fulminea metuendus regibus ira,
Vatibus infensus Satanae fallacibus et dis,
Et sanctum nomen sanctumque tuetur honorem:
Haud mortem tetigere; Deus namque abstulit ambos
Ac servat Christo suprema in bella paratos.
At quoque multi aderant caedes et funera passi,
Quique sacerdotes et Christo digna locuti,

Venturo tenuere fidem, virtute monendo
Illustri et dictis alios, dum vita maneret.
Astant quae fuerant specie et virtute decorae,
Et Iael et Respha dolens et fortis Iudith
Et Ruth, innumeraeque aliae sine nomine matres.
Tu quoque, primus Adam, generis pater, Hevaque coniux,
In culpam ruitis decepti fraude draconis,
Perditis et gentem ob crimen fatale parentum:
Iam nunc alter Adam caelo festinat ab alto
Qui noxam reparet, caelestum et limina pandat.
At coetu in medio Gabriel sic ora resolvit:
O fortunati, queis iam reseratur olympus,
Quos et regna manent iustorum et praemia caeli:
Iungitur humanis Deus, et demittitur astris
Iam nova progenies, iam postes carceris huius
Effracti, dabitur felici sede beari.
His dictis incensos animis pia gaudia manes
Exhilarant sanctos, tenues sine corpore vitas:
Et festos volitare, et laeto murmure totum
Exultare specum, quales alvearia circum
Tempore veris apes produnt industria mella.
At sacros inter manes Ioachimus et Anna
Plusquam alii gestire, suo quod sanguine Nata
Aucta, insperato superis, dignetur honore.
Tu quoque sed, Gabriel, laetaberis; inter ephebos
Caelestes delectus enim mandata Puellae
Ut referas sanctae, e summo quum Filius axe
Aeternus veniens puram descendet in alvum:
Ecce salutantem video te paupere tecto
Nazaridum, verbis recinet quae longius aevum.
Haec inter superos gestire, et contremere alte
Regem erebi, lucemque novam splendescere mundo.

At chorus Aligerum sublimia carmina postquam
Dixerat aeternique Dei quod mente statutum
Consilium norat, solymaea ad limina pergit
Divinam prono veneratur et ore Puellam.
Haec curvata genu cellae penetralibus imis,
Mentis in excessu palmis oculisque supinis,
Iam propiore Deo, fervens sic voce profatur:
Audiat hoc caelum, tellus hoc audiat omnis;
O Deus omnipotens, tibi memet corpore toto
Mente animoque libens voveo: bonus excipe votum.
Miratur superum pubes: O Partheni dia,
Ah niveae tanto si virginitatis amore
Abriperis, matris quoque honos tibi caelitus uni,
Uni erit, et divum incedes regina hominumque;
Unam te omne genus dicet per saecla beatam!

Ast erebi princeps, humanum qui genus omne
Sub diro tenet imperio, et fumantibus aris
Sanguine pollutis dios affectat honores,
Adventare Deum sentit, qui fortior ipso
Bella geret, tandem solio turbabit iniquo;
Ut fremit ore leo, curarum fluctuat aestu,
Et rabie accensus fido sic fatur Abaddon:
Scis, quod adamitica tulimus de stirpe tropaeum,
Subtili partum ingenio, non viribus ullis;
Inde hominum sceptrum nobis est iure tributum,
Inde vocor mundi princeps, post saecula iam nunc
Dena quater iustum imperium, nec desinet usquam.
At qui nos odio premit implacabilis, acer,
Incendor memorans! quo tempore perditus Adam
Haerebat nostro trepidus lateri, haec tulit ira
Magna exardescens, vomit haec horrentia verba:
Ecce dies, et certa fides, quo semine nata

Humano veniet Mulier, quae conteret ipsa
Teque tuumque caput; niveo tu sub pede frustra
Niteris ad morsum insidias et fundis inanes.
Haec recolo, pavido iam pridem haec pectore volvo:
Cogere nunc ergo vires, nunc arma parare
Tempus, et indignum nunc est prohibere veternum.
Ipse egomet terras lustrabam nuper et altum,
Praerapido volitans gyro, quasi fulguris ignis,
Solem exurgentem vidi solemque cubantem;
Nobis tota est terra et nobis omnia parent;
Nobis templa, licet vario sub nomine divum,
Et nobis statuae crebro tolluntur et arae;
Ipsi etiam Isacidae, non usquam fana Canopi
Obliti penitus, sua iura suumque videntur
Fastidire Ducem: tamen hoc est gentibus unum
In votis quaesisse Deum ut promissa rependat.
Angor ego, sed enim novi iam volvere tempus
Quod Daniel dudum vidit Babylonis ad amnem;
Quin scio servari templi inter septa Puellam,
Mente tremens memini, quae, quamvis stipite creta
Primaevi patris, nostris e iuribus una
Subrepta imperii effugit; nam Signifer ille
Qui nos adverso aetheriis certamine abegit
Sedibus, hanc clypeo stricto tutatur et ense.
Fallor ego? insuetum Solyma et mirabile quidquam
Molitur tacite ac in nos nova bella minatur.
Eia, age, rumpe moras; tu namque vaferrimus, et quae
Dicta tene, et facilis tibi quae mandata capesse.
Sic ait: approperat fraudes et nectit Abaddon.

Servus erat templi Gabaon poenasque luebat
Tempore iam longo, fortem quod fallit Iudae
Ductorem Iosue, quando Chananitidis errat

Felices campos, clarus victricibus armis.
Excidium sed enim metuens, quando imminet ensis
Fulmineus, iam iamque ruit subvertere gentem,
Longum iter emensum simulans durosque labores,
Vestibus attritis, conspersus pulvere membra,
Obvius Isacidis pacem victoribus orat.
Mox vero patuere doli manifestaque fraus est:
Mancipium Gabaon aut silvis caedere ligna
Aut undas haurire, graves et obire labores.
Augustas ergo ad sedes, ut iussa facessat
Tartarei regis, vafer ille propinquat Abaddon;
Anguineas sine lege comas et cornua frontis,
Os immane oculosque et caudam turpiter atram
Occulit, et facie Gabaon penetrare recessus,
Explorare omnes visu, atque audita referre.
Miscetur turbae famulanti e fontibus undam,
Eluit haud segnis, decisis aut grave lignis
Tergum onerat, strepitusque attentis auribus haurit:
Sed nullae templo insidiae nullaeque latebrae;
Nam custos Deus ipse, et caeli exercitus astris
Demissus sedem implerat, dum vota voveret
Alma Deo. Michael (spes custodita fefellit)
Audacem insequitur gladio; fugit ille repente
Et vomit ingentem fumum: tum cornua frontis,
Viperei crines, spirantia lumina flammis
Apparent, stygioque locus tristatur odore.
    Ecce autem, multo coetu comitante sororum,
Virginis ad cellam properat studiosa Noemi,
Deboraque, ardenti quae pectore fertur in Almam
Et quae pingit acu tyrio, bethlemis et Esther,
Auratis Susanna comis, Abigail et Anna,
Nazarides ambae, Michol e finibus Hebron,

Textilis et lini Rachel exculta per artem:
Simonis referunt iussum: bona Virgo propinquo
Nupta foret iuveni claro de germine Iudae,
Ut mos Abramidum, steriles nam Legifer odit.
Parthenidi, postquam vita cessere parentes,
Nam Simon datur et custos et tutor ut esset
Tam cari capitis: submissis sensibus Heros
Vult prompte parere senisque facessere dicta.
Innuba laetatur pubes, quae talia profert
Nuntia Parthenidi; tamen haec turbatur, et imo
Corde sedet carae quod virginitatis amore
Flante Deo votum vovit; tum rebus in arctis
Orat, scrutatur. Mox opportuna petenti
Obiicit Isaias divina volumina vates,
Qui canit: Isacidas inter dilecta puellas
Virgo et mater erit: caeli mirabile donum!
Concipiet parietque; vocabitur Omnipotentis
Filius, Emmanuel: generique datura salutem.
Quid quaeris? vates cecinit, bona Partheni, de te.
Quod Virgo nuptura foret prope venit ad aures
Elisabeth, patriis degit quae montibus Hebron,
Laeta senescenti gremio et nova pondera gestat
Prodigio, et veneranda Dei sub pectore volvit:
Ipsa tamen, cui vir passus iam damna loquelae
Usque subit, quandoque animum turbatur amare.
Ecce olli, dulcis somni ceu ferret imago,
Visus homo, zona pellis succintus et haedi
Hispidus in spoliis, cano cui plurima mento
Barba cadit, pedibus nudis vultuque decoro.
Extimuit visu mulier; sed protinus ille,
Nil est cur paveas, inquit; vix lucis in auras
Quem geris ille puer veniet, reddetur adempta

Vox patri, et quales laudum dabit ore loquelas
Fatidico! montes Iudae et vicinia circum
Exilient, sacrum repetent et saecula carmen.
Maximus hic vates mortalibus Omnipotentis
Induviis Sobolem monstrabit et indice prodet:
Iordanis tinget lymphis, quum Spiritus almus,
Delapsae caelo forma specieque columbae,
Insidet capiti, et vox exaudita per aethram:
Haec Proles dilecta mihi est, mihi sola voluptas.
Et tibi fausta canam: dudum quam templa morantur,
Sanguine creta tuo, Solymis, sanctissima Virgo,
Aeterni quoque mater erit; tutamen honoris
Et custos dabitur, quando conceperit alvo
Virginea magnam Sobolem. Non hanc iuga montis
Aspera deterrent, caeli nec fervidus aer;
Visere te properat, ternis et mensibus astat.
Munera praesentis Domini nam sentiet infans
Exultans, plenoque frui iam lumine vellet,
Et clamare tuba, commisso et munere fungi:
Discite iustitiam mentisque abstergite sordes,
Mortales, lux affulget gentemque per omnem
Monstrat iter, tuta et quae semita ducit ad astra.
Haec enarrabat vates, et praepes abibat,
Ut tenuis nebula. Elisabeth tanto omine sentit
Continuo tristem mutari in gaudia mentem.

ADNOTATIONES

V. 5 *Stat solio excelso etc.* — Isaias C. VI, v. 1.

V. 101 *Principio, memini.... forma etc.* — Quidam ex Theologis arbitrantur Christi humanitatem monstratam esse Caelitibus, et ab Archangelo Michaele adoratam; despectam vero a Lucifero, causam fuisse eius rebellionis in caelo.

V. 117 . . . . . *Proles aequaeva Parenti etc.* — Ecce ego, mitte me: Isaias C. VI, v. 8.

V. 154 *Est Asia in magna etc.* — Describitur poetice quod dicitur vulgo: Limbo dei Santi Padri.

V. 251 *At sacros inter manes etc.* — Non liquet quo anno sancti Virginis Parentes diem obierint supremum. Trombelli, Vita e culto de' Ss. Gioachino ed Anna, Bologna, 1768.

V. 258 *Ecce salutantem etc.* — Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena etc: Lucas C. I, v. 28.

V. 283 . . . . . *sic fatur Abaddon etc.* — Latine, Exterminator, graece, Apollyon. Apocalyp. IX, 11.

V. 323 *Servus erat templi Gabaon etc.* — Iosue C. IX, v. 27.

V. 359 *Simonis referunt etc.* — Tempore, quo Virgo apud templum degebat, videtur ex Iosepho Flavio nomen hoc fuisse summo sacerdoti.

V. 374 *Concipiet parietque etc.* — Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel: Isaias. C. VII, v. 14.

V. 384 *Visus homo etc.* — S. Ioannes Baptista, Eliae virtutem et spiritum imitatus. Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae: Lucas C. I, v. 17.

PARTHENIADOS

LIBER TERTIVS

ARGVMENTVM

Ioseph, vir iustus, in oppidulo nomine Nazareth exercet fabrilem artem. Ei oranti apparet e caelo Gabriel, et praenuntiat propediem ipsum vocatum iri ad templum ut sponsa ex more Iudaeorum e sua tribu assignetur, eamque ob causam anulum defert, et aliquid innuit de Virgine Maria. Anulus, qui Perusiae asservatur, describitur, et quaedam de hoc ex traditione commemorantur. Iuvenes nonnulli ex tribu Iudae vocantur, quos inter Ioseph. Hos alloquitur summus sacerdos atque omen divinum exquirendum profatur. Virga Ioseph floret, et summus sacerdos Sponsum Virginis conclamat. Agabus, unus ex iuvenibus, virgam frangit, seseque ad montem Libanum recipit, et dato nomine Carmelitis Eliae alumnis caelebs sancto fine quiescit. Interea puellae Mariae comites stragulum nuptiale offerunt ab eisdem elaboratum. Hoc opus describitur. Anna senex, suum dum profert munusculum, plurima de Sponso Virginis et de gloria venturi Christi vaticinatur. In monte Sion habetur coniugium. Iosephi et Virginis agapae nuptiales fiunt. Hic Poeta hymnum repetit S. Iosephi qui canitur in Ecclesia, quam et seipsum eius patrocinio commendat, praesertim luctuosissimis hisce temporibus cum tot hostibus exagitetur. Demum ipse Poeta B. Virgini ad templum praesentatae carmen suum seque totum ex animo dedicat.

Nunc age deficiens, Ioseph fidissime, carmen
Erige, namque tuas properat iam dicere laudes.
Te tenet oppidulum, prisci cognomine patres
Nazaridum dixere: hic vescens luminis auris,
Tu famam super astra dabas. Hic paupere tecto
Degis inops, quamvis prognatus germine regum,
Insudas operi manuum fabrique labori.
At Pater omnipotens, cedros qui despicit alte

Sese extollentes, nardos humilesque myricas
Aequus amat, magno et terris te ditat honore.
Ergo dum Ioseph olim sub muta recessus
Oraret Patrem superum, pulcherrimus alis
Improvisus adest Gabriel, simul undique multa
Luce micat locus et caelesti ridet odore.
Miratur Ioseph, at Penniger occupat ultro:
Macte animo, o Iuvenis; quae iam tu fervida fundis
Vota, Deo placuere, et puro e pectore virtus
Candidior mage grata ipsi quam turis acerrae:
Hinc tibi magnus honos; siquidem tibi tradita cura
Parthenidos, qua maiorem non ulla tulere
Saecla, nec ulla ferent; iessaeo e stipite Virgo
Sponsa tibi; iam nunc Solymorum ad templa vocaris.
Anulus e caelo veniens haec foedera panget,
Non usquam solvenda; ut viti iungitur ulmus,
Haud fetus mirata suos, sic Parthenis et tu,
Macte animo, o Ioseph, iam nunc tibi vita paratur
Alternis vicibus, luctus et gaudia miscent:
Parthenidem ob Sponsam tibi qui reddentur honores!
Anulus interea, suprema in sede paratus,
Sponsae foedus erit; nam vix mandata Tonantis
Accepit servanda, operi sese addidit ultro
Aligerum manus, et celebrare iugalia gestit
Vincula Parthenidos. Reddes tu munera Sponsae,
Induces almae digito, stabilique dicabis
Coniugio, quod tanta decent caelestia dona.
Sic Gabriel, niveam in nubem rapidusque recessit.
Exultans animo Ioseph et multa revolvens
Versat dona manu; atque obtutu fixus in uno est.
Non ibi sardonychus rutilat viridisque smaragdus,
Indicus aut adamas aut puniceae amethysti

Aurea vel iaspis vel clara in luce pyropus.
Parvum opus ac simplex, fulvo at pretiosius auro,
Caelestum labor et lapides qui vincit eoos:
In gyrum curvatur onyx, nitidissimus igne
Apparetque calix insculptus, vertice summo
Pubescit flos et miranda pingitur arte.
Haec tibi, Ioannes, caeli pia munera Virgo
Cedet amans, terram quando pertaesa supernas
Agminibus comitata domos citharisque tubisque
Caelicolum regina et victrix mortis adibit:
Clusini egregii doni monumenta sacrabunt,
Mustiola referente, dabit quum sanguine vitam.
Attamen hoc tanto ditata, Perusia, signo,
Italicas urbes inter tibi pignus amoris,
Et pia sollicite longa et per saecula servas,
Et recolis devota; hinc felix numen adepta es:
Hoc tegeris, seu dira lues per rura per urbes
Grassatur clademque horrentia bella minantur,
Seu malesuada fames urget seu tristis egestas,
Quin oculos reparas morbis lumenque tueris.
Pervenit haec inter iudaeas murmur ad aedes
Davidica de gente viros ad sacra vocari,
Coniugiumque ineant, si Mosis iure propinqui
Fulgeat insignis pietas moresque pudici.
Ergo delecti iuvenes e semine regis
Conveniunt: Agabus princeps, pecudumque Manasses
Dives opum, Iaphetus custos, pulcherrimus ore
Tobis, Gamaliel multo ditissimus agro,
Et per fabriles artes excultus Ioseph;
Eximii virtute omnes formaque decori.
Conventu in medio profert haec dicta Sacerdos:
Parthenis e claro Jessidis germine, terna

Explevit jam lustra, viro est iungenda; parentes
Defecere olli, Iudae nec more puellae
Fas est, ni custos adsit, discedere templo.
Oh nimium felix, tanta cum coniuge vitam
Cui duxisse datum! testor nil sanctius illa,
Nil et amabilius nostris his sedibus unquam
Visum est; quo sese ore refert habituque putares
Plusquam mortalem, caelesti at stirpe creatam.
Ergo Dei placitum quaerendum et dia voluntas;
Vestrum quisque sacram virgam deponat ad aras.
Dixerat, atque omnes prona cervice precantur:
Qui, Deus omnipotens, manifesto lumine terris
Cuncta vides, hominum penetras atque abdita mentis,
Quem vis ostende atque orantum percipe vota,
Da qui Parthenidos sponsi fungatur honore.
Parte alia pia Virgo eadem sub pectore volvit,
Seque Dei ancillam putat, et, suprema voluntas
Quae sit, parere, ac tota requiescere mente.
Praeterita et relegens divo succenditur igne
Usque magis, gliscit coeptus iam tempore longo
Virginitatis amor; supplex et talibus orat:
Magne Deus, qui me tanto sic munere tollis
Immeritam, toto quae prompsi ex pectore vota
Respice, nempe viro nusquam cognoscar, et uni
Uni sacratam tibi fas perducere vitam.
Vesper erat Solymis, sacra haec dum sede geruntur.
Stirpis amygdaleae servant altaria virgas
Nocte, quatit iuvenum pavor exultantia corda.
Mane novo vix dum surgens aurora rubescit,
En mirum! Ioseph baculi de vertice summo
Succrescit flos et foliis albescit odoris,
Vivida ceu redolent in apertis lilia campis:

Agnoscunt omen caeli et mirabile donum;
Tum Simon Sponsum Mariae conclamat Ioseph.
Haud aliter Chanaan desertis finibus olim
Noscitur augurium, quum virga refloruit Aron.
Stirpe ex davidica prognatos inter ephebos
Primus erat, Mariam qui casto ardebat amore,
Gente opibusque potens, Agabus, si garrula verum
Fama refert; virgam velut indignatus, ad aram
Nequidquam positam, palmis obtruncat utrisque
In genua obnixus: spectabunt facta nepotes,
Urbinas tabulam quum mira pinxerit arte.
Praemia virtutis Virgo dabit; ad iuga montis
Carmeli fugiet iuvenis se condere claustro:
Hic ubi Thesbitae primum nubecula visa est
Parthenidem simulans, caelebs noctuque diuque
Is prece sollicita pacem exorabit, alumnus
Virginis, et senior felici fine quiescet.
Obtulit haec inter templi lectissima pubes
Parthenidi sponsae non enarrabile textum.
Stragula, depictis auro variata figuris,
Ornamenta tori multo confecta labore,
Abramidum historias veteres et grandia pingit
Gesta sacris, dictante Deo, concredita chartis.
Principio Deus omnipotens terramque polumque
Eruit e nihilo, terris et dividit undas,
Seiunctam a tenebris iubet et splendescere lucem,
Et solem et lunam, magni duo lumina mundi.
Induitur foliis arbos et prata virescunt;
Omnia percurrunt rapidas animalia silvas,
Aut reptant tellure, altum aut per inane feruntur
Praepetibus pennis, fluvios aut aequora tranant.
Callidus hic serpens fraudes ab origine rerum

Subnectit; facilis nimium sic fallitur Heva,
Fallitur et coniux uxorius; hinc mala tanta
In genus infelix, hinc mors, hinc horrida bella
Nimborumque cohors, auri argentique cupido,
In vetitum nisus, rerumque effrena voluptas.
Cernere erat vastis obductum fluctibus orbem,
Ingentemque ratem Noas super aequora nantem,
Servatam incolumem, dum gens demergitur undis;
Namque quater denis magnae funduntur abyssi
Caelorum immensoque polus pluit imbre diebus.
Parte alia texti mirabilis arte Noemi
Innuptae fecere atavum longo ordine matres,
Praestantes forma, clara et virtute decoras.
Formosa hic Rachel astat, quam pastor Iacob
Aspicit ad puteal magnaque cupidine fervet,
Et fert servitium, bis septem et durat in annos;
Non datur ulla quies oculis, nimioque labore
Deficiunt vires, animi nec defluit ardor;
Ac tandem faciet dilecta prole beatum.
Debora pone subit, magnam cui mentem animumque
Dat Deus, Isacidum populos ut iura doceret.
Bella movet Iabin frustra: dum victus abibat
Perfugium quaerens, statio male tuta; sepulcrum
Dant etenim fesso tentoria fortis Iael.
Invocat illa Deum, praesens ut grandibus adsit
Auxilio, et Sisarae clavo transverberat aures,
Quum dux stratus humi lassae dat membra quieti,
Experrecturus nunquam: sic occubat umbris
Aeternis: vomit ille atram cum sanguine tabem,
Et terrae caput adversae transfigitur alte.
Et Ruth aspicitur pauperrima, ruris aristas
Quae legit, oblitis retro messoribus; ardet

Iessidis proavus; generis sic nomen habebit.
Hic Abigail adest, conceptum corde furorem
Demulcens profugi regis, cui denegat escam
Divitiis inhians Nabal durissimus; illa
Exorat supplex veniam, clademque necemque
Coniugis, et capiti sic damnum avertit avaro.
Visitur excelsis obsessa Bethulia saxis;
Moenia circumeunt, stant propugnacula, turres,
Altus in urbe dolor populi, spes nulla salutis,
Dira sitis, fontesque negant ardentibus undam.
Fingitur hic Achior; nodosis funibus arbos
Alligat hunc trunco strictum, quod magno Holopherni
Consilium dederat, si mens non laeva fuisset,
Haud aspernandum; sic vinctum liquerat hostis;
Assyrius dat terga fugae, vix cominus armis
Fundisque obsessa cedentes novit ab urbe.
Papilio miseri surgit ducis; hic iacet alto
Oppressus somno multumque eructat iacchum:
Femina fortis adest, ferrum rapit, invocat ardens
In sua vota Deum; insperata caede tyrannus
Oppetit, assyriumque tremens dilabitur agmen,
Iam mutat ferales laeta Bethulia vestes.
Hic Esther regina, gravem sub pectore curam
Ecce premit, Iudae quod clades impius Aman
Molitur generi, regalem sistit ad aulam
Implorans veniam: solio rex eminus alto
Insidet et dextra sceptrum tenet: illa duabus
Ancillis suffulta oculos demittit, et ore
Vix singultanti lacrimis affatur obortis,
Incessuque habituque dolens, pulcherrima visu:
Pronus in amplexum princeps, fulgentia tela
Stant circum, sponsaeque ingenti carpitur igne.

Ipsa aperit fraudes hostis regique profatur
Interrupte, arcet pestem, servatur Iudas
Incolumis; princeps etenim fera iussa resolvit,
Et cessant luctus. Hic Respha, miserrima mater,
Sub cruce natorum morientum immobilis haeret,
Immanisque dolor lacrimarum triste levamen
Ipse vetat; stat enim veluti Marpesia cautes.
Horrendum facinus! Sed quid, bona Virgo, moraris
Talia miranti tacito sub corde volutans?
Heu spectas ventura tibi ad feralia montis
Culmina, quum Gnatum pendentem stipite diro
Aspicies, clavis fixum plantasque manusque,
Et caput horrendum spinis et pectus acuta
Cuspide transiectum, manans et sanguine corpus.
Feminei hoc opus est coetus: per singula volvit
Parthenis alma oculos, et amico munere gestit.
Nec minus Elisabeth pignus mittebat amoris,
Candidulam vestem, tegerent quam pallia circum
Caerulea, et gemmis distincta monilia collo.
Advenit Anna senex, sanctaeque volumina legis
Affert intertexta auro, mirabile donum:
Spiritus incendit vatem, maiorque videtur
Ipsa sibi, ac afflante Deo sic abdita pandit:
Parthenis o dilecta Deo, cumulata supernis
Muneribus, de te quanta oh mirandaque cerno!
Una homines inter primae tu nescia labis,
Teque venenato nequidquam dente petivit
Tartareus serpens, nequidquam caerula colla
Intumuit, firmo nam tu pede comprimis anguem
Et Solymis quum templa manent, tibi nubibus altis
Demissi cupiunt certatim assistere cives
Reginamque vocant terrae caelique potentem.

Nunc iusto sociata viro, quo germine Virgo
Ditaris, bona quanta feres mortalibus aegris,
Progeniem Aeterni caeco connixa sub antro!
Hic rex in populos omnes, huic legibus aequis
Regnum erit, et mundo felicia tempora, pacem
Excelsi montes resonent vallesque profundae:
Pauperibus sua iura dabit, capita alta potentum
Conteret, et solium stabit, dum nocte tenebras
Luna fuget claraque diem sol lampade lustret;
Pergratum veluti campis arentibus imbrem
Effundunt nubes, generi data munera pacis
Sic et iustitiae, donec duo lumina fulgent.
Nec metam imperii Euphrates dabit; at mare magnum
Hinc atque hinc claudet: prostratus pulvere linget
Hostis humum, sceptri magnus quum terminus orbis.
Dona ferunt Arabes, supplex gens omnis adorat;
Nam columen misero, pater et tutamen egeno:
Et tellus fundit segetes et flavet aristis,
Quae caput extollunt, velut alto culmine cedri;
Ac, ut vere novo pubescunt floribus arva,
Sic populi crescent, et regnum saecla beatum
Dicent cuncta, iubar solis dum splendeat orbi.
Incipiunt miranda novo caelestis ab ortu
Infantis; media quando lux nocte coruscat
Fulgidiorque die, vigilantum innoxia pubes
Ad stabulum manibus puris donaria defert.
At maiora ferent reges, quum sidere caeli
Insueto ad Puerum e domibus ducentur eois.
Sed loquar an sileam? miscentur gaudia luctu.
Effuge natales terras, quot funera cerno!
Plorantem Rachel late gemitusque cientem.
Porrigit hospitium Aegyptus, novus accola Nili;

Undique fana ruunt et inania signa deorum:
Surgit et heorum manus inclyta, et antra ferarum
Desertosque locos, mirum genus! incolit hospes.
Te quoque moerentem video, sub pectoris imo
Cura sedet Pueri amissi, sed quis dolor urit
Viscera, quum moriens offertur et hostia Patri!
Sed finis planctus, revoluto marmore iam iam
Exurgit tumulo, spoliis et victor averni
Iam sua regna tenet, iam te vocat, inclyta Virgo:
Surge o, quae placido decumbis fusa sopore,
Dulcis amica, veni; fugit iam turbidus imber,
Horrida fugit hiems, omnis tibi panditur aula
Caelicolum, hic alto divorum effulgere coetu
Assuesces regina tuumque agnoscere regnum.
Sed quid ego afflatu rapior? quid mentem animumque
Inspirat Deus omnituens aperitque futura?
Non tantum caelis honor, at quoque gloria terris
Te, bona Virgo, manet: curvato poplite gentes
Te colere aspicio laudumque efferre beatam
Carminibus; matres inter te dicier unam
Expertem veteris noxae; tibi templa per orbem
Extolli, et populis rebus fidenter in arctis
Praesidium et columen miseris in vota vocari.
Aestibus in mediis, mirum! nix culmine collis
Albescit, siccos et agros gravis ardor hiulcat.
Maximus Antistes, caput exornante tiara,
Designat baculo terram, resonantque Quiritum
Cantus, atque aedis cito fundamenta locantur;
Namque aedem, quam nulla potest abolere vetustas,
Maiorem tibi Roma dicat; per saecula surgit
Splendidior, tandem tua sic velut aula refulget.
Montis ab aspectu templum supereminet urbi

Italicas inter, quo dulcis prostat imago:
Advena detulerat veniens orientis ab ora.
Longum iter aggreditur peragrans huc civis et hospes,
Te colit et fulgenti auro prosternitur arae,
Et caput et plantas peragrantum porticus alta
Fornicibus longis servat. Festiva quotannis,
Ut moris, late insignes solemnia coetus
Instaurant: evulsa suis e sedibus omnis
Urbs fremit, et supplex populus per compita fervet,
Per plateas glomeratur, ovans et carmine sacro
Parthenidos recolit laudes, aulaea fenestris
Dependent pictis et odoro flore corollae:
O decus, o pietas, o et sanctissima Virgo,
Pastoremque Gregemque superna ex arce tuere!
Haec senior vates, omnes mirantur et omen.

Nomine mons Sion templi surgebat ad austrum;
Coniugii locus hic, convivia laeta parantur.
Conveniunt sociae iuvenes iuvenumque magistrae,
Et media incedit Cleophen interque Noemin
Parthenis alma; sedet pudibunda modestia vultu,
Ornatu nitido splendet solemnis amictus:
Aurea progreditur subter tentoria, virgis
Suppositis quatuor, pubes selecta ferebat;
Nobilis et simplex, qualem decet esse puellam
Desponsam fabro, genitam et de sanguine regum.
Parthenidos sic vestis erat, quam pulcra videri!
Ornatus tunicae tyrio medicata veneno
Flammea lana tegit, dant corpus pallia circum
Caerulea, et velum auratum ludibria ventis;
Deferet hoc Virgo, et Ioseph deponet ad aedes;
Pellucent compti flava e cervice capilli,
Serta premunt contexta rosis myrtoque virenti,

Auribus et pendent gemmae colloque monile
Vermiculatum auro, plantas sandalia stringunt
Lutea, et elata dextra fax clara coruscat.
Oh nimium speciosa! nitet caelestis imago
Ierusalem, Sponsam Agni quam de sede superna
Cernet Ioannes urbem descendere terris.
Subsequitur Ioseph, glauci cui palla coloris
Ampla fluit, cinctura latus perstringit et albo
Flore, regit dextra virgam, quae numine caeli
Succrescit, puri monimentum et pignus amoris.
Insequitur festiva cohors et pulsat eburnis
Pectinibus citharas, simul et dant cornua cantum.
Innumerae circum taedae fulgore relucent
Et vincunt noctis tenebras, puerique puellaeque
Effundunt flores et callem vestibus ornant.
Sic eris et dulci tu, Virgo, simillima Nato:
Ante etenim Solymis solemnia tanta parantur,
Post gemitus, dolor et tristis feralia montis.
Ergo introgressi sedem, vox una canentum
Emicuit, paribus sponsis bona cuncta precati,
In sua vota Deum clamant, qui numine praesens
Abramidas tegit ac donis ingentibus auget:
Ut cantus tacuere tubaeque, iugalia vincla
Parthenis et Ioseph stringunt, atque anulus Almae
Inseritur digito, non enarrabile donum.
Veste superposita Ioseph dein obtegit ipsam,
Es mihi Sponsa, inquit, Mosis sic lege iugamur.
Astiterant testes prognati e semine cives,
Bethlemis, Cleopheque, Anna atque operosa Noemi,
Antistes, Simeon, pluresque ex ordine mystae,
Spumantique puer replens carchesia vino
Dat sponsis: Virgo summo tenus attigit ore:

Qui genus humanum in speciem divisit utramque
Coniugiique prior leges et foedera iussit,
Tollit laude Deum; frumenti exinde pugillum
In tenues spargit ventos et pocula frangit.
Laetitia ingenti resonat polus aethere summo;
Qualiter effractus bello quum Lucifer axe
Turbatus ruit, et victrix domus Omnipotentis
Cantibus Aligerum divina et laude resultat.

Post comitatus abit properatque accumbere mensae,
Magna ubi solemnes epulas cenacula ponunt.
Undique collucent lychni, tunc ordine longo
Convivae thalamis strati, mediumque locatur
Par felix; manibus lymphas plenisque canistris
Ancillae cererem expediunt et fercula ritu
Dant patrio; laetos recolunt et cantibus hymnos.

Te quoque Caelestum celebrent, o maxime Ioseph,
Agmina, Christiadumque chori te carmine dicant,
Illustrem meritis quem iungit foedere casto
Inclyta Virgo: sinum tumidum quum Coniugis almae
Cernis, et anxietas animi te torquet, ab axe
Alatus iuvenis divino Flamine Prolem
Conceptam docet: et Dominum complecteris ulnis
Et profugum sequeris longinqua ad regna Canopi,
Invenis amissum, misces et gaudia fletu:
Post mortem reliqui praesenti numine gaudent,
Tu, dum vita manet, meliori sorte bearis.

O Ioseph, Ioseph, Superum decus, aethere ab alto
Aspice ut adversis agitatum fluctibus aequor
Currimus, et vastis iam demergimur undis.
Adsis, Dive; tuo pollenti nomine fretus
Namque gubernacli suprema in sede Magister
Securo fidit cymbam considere portu.

O Ioseph, tibi devinctos, precor, excipe sensus,
Excipe et infirmae recinunt quae carmina musae,
Et sis praesidium vitae et defensor ab hoste,
Quum mors atra mihi reserabit putre sepulcrum.
Et tibi, dia Parens, extremum instante senecta,
Tenuia quantumvis, devota haec mente dicabam;
Nam me nascentem tu lumine conspicis aequo,
Quum lux affulget, templi qua limina primum
Ingrederis (fluxere decem iam saecula et octo
Annis quinque super). Tantis, bona Virgo, periclis
Me iuvenem servas, me Christi ad sancta vocatum
Infula nil meritum, quin sacra et purpura cingit.
Unum restat adhuc, toto quod pectore, Mater,
Percupio, tecum felici in sede beari.

ANNO MDCCCLXXIII

ADNOTATIONES

V. 3 *Te tenet oppidulum etc.* — Sanctus Ioseph, ut videtur, consuevit habitare in oppido Nazareth, ibique suam fabrilem artem exercere, et probabiliter etiam natalem sortitus est. Sunt quidam (uti S. Epiphanius, S. Hieronymus et S. Augustinus), qui ex verbis S. Lucae (Cap. II, v. 3) opinantur Bethlehem fuisse non solum originem familiae sancti Patriarchae, sed locum sui natalis.

V. 16 *Macte animo, o Iuvenis etc.* — Vide Ephemerides Christianae Archaeologiae, vulgo — Bollettino del Cav. de' Rossi (aprile 1865, anno III, pag. 27, Roma): S. Giuseppe è giovane sui 22 anni, imberbe del tutto, faccia lunga, capelli folti, crespati in leggeri anelli, idea graziosa in atto di compiacenza soave e quasi di ammirazione. Et (loc. cit. pag. 28): S. Giuseppe è imberbe del tutto, giovane sui 28 anni, un po' più maturo di quello di S. Celso (cioè il descritto sopra); ha una assai bella e lunga capellatura, e con un sorriso dolce guarda il bambino e la madre.

V. 27 *Alternis vicibus etc.* — Obscure innuitur ab Angelo quod erat eventurum per somnia a Deo immissa, quum Virgini, postquam invisit Elisabeth, sinus a Spiritu Sancto turgesceret. Math. Cap. I, v. 19, 20.

V. 28 . . . . . . *tibi qui reddentur honores!* — Recens decretum Pii IX, quo S. Ioseph datus est Patronus Ecclesiae catholicae.

V. 39 *Non ibi sardonychus etc.* — Opusculum cui titulus: L'Anello sposalizio di Maria Vergine che si venera nella Cattedrale di Perugia, 1857, di Adamo Rossi.

V. 60 *Quin oculos etc.* — Vide Opusculum quod supra dixi.

V. 102 *En mirum! Ioseph baculi etc.* — S. Germanus Patriarcha Constantinop. Tom. VI, fol. 177.

V. 110 *Primus erat Mariam etc.* — Iuxta historiam Carmeli, iuvenis hic appellabatur Agabus, postea sanctitate celebris, Christi fidem secutus.

V. 115 *Urbinas tabulam etc.* — Percelebris Raphaelis Urbinatis tabula, vulgo: Lo Sposalizio della Madonna.

V. 236 *Hic rex etc.* — Excerpta ex Psalm. LXXI, qui, capta occasione de filio regis David, idest de Salomone, loquitur manifeste de gloria Christi venturi.

V. 294 *Maiorem tibi Roma dicat etc.* — Splendidissimum Romae templum. S. Mariae Maioris.

V. 296 *Montis ab aspectu etc.* — Templum Bononiae S. Mariae Lucanae dedicatum, et solemnis supplicatio quae quotannis instauratur.

V. 312 *Nomine mons Sion etc.* — Videtur ceremonia nulla aut ritus sacer locum habuisse in coniugiis Hebraeorum. Etenim sacra Scriptura, quum meminit matrimonii Iacob cum Rebecca, Ruth cum Booz, et Tobiae cum Sara, nullum de hoc verbum facit.

V. 334 *Cernet Ioannes etc.* — Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo (Apocalyp. C. XXI, v. 2).

V. 354 *Veste superposita etc.* — Vide Librum Ruth: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam (C. III, v. 9).

V. 359 *Spumantique puer etc.* — Orsini, Istoria della Madre di Dio etc. pag. 148, Milano 1839.

V. 376 *Te quoque etc.* — Hymnus Ecclesiae: Te, Ioseph, celebrent etc.

V. 391 . . . . . . *suprema in sede Magister etc.* — Pontifex Pius IX hisce luctuosissimis temporibus S. Ioseph Ecclesiae Patronum et Vindicem dedit.

V. 397 *Et tibi, dia Parens etc.* — Poeta natalem sortitus est Romae die XXI novembris MDCCCV, scilicet festo B. V. ad templum sese Deo offerentis.

DE MARIA PERDOLENTE

ELEGIAE VII

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

Maxime Christiadum Pastor, cui diva potestas
Claudere caelestes et reserare fores,
Hos tibi sacra dicat moestos elegeia versus;
Hoc musae patiens accipe tristis opus.
Si regni curae, si publica commoda quando
Otia te fessum carpere iusta sinant,
Virginis indignos lubeat meminisse dolores:
Ah! premit indignus te quoque corde dolor.
Impetitur quantis Petri nam cymba procellis,
Te duce, et inflatum per mare tendit iter!
Quum quidquid sancti terris, quum quidquid honesti
Versum bacchanti crimine conspicias,
Si Matris recolas luctus, si funera Nati,
In leni fiet pectore cura minor.
Et si forte meos non dedignaberis ausus,
O Pater, o Princeps, hoc mihi fenus erit.

ELEGIA I

DE MARIA PVERPERA PERLITANTI

Quid Natum teneris, Virgo, complecteris ulnis,
    Templaque cum precibus muneribusque petis?
Matrum more sacras numquid purgaris ad aras?
    At tu post partum candidior Puerum,
Virgineam qui, flante Deo, est illapsus in alvum,
    Alvo et virginea prodiit ipse Deus:
Ut purum illimis deducit rivulus amnem,
    Transit ut intacto lucis imago vitro.
Haec numquid Moses, Virgo, tibi iura dedisset,
    Aliger ardenti cum rueret gladio,
Proh dolor! et primos natu una nocte peremptos
    In terris fleret quaeque domus phariis?
Nonne subit fidus Gabriel quod dixerat olim,
    Unam inter matres te sine labe fore?
Omnibus eccur te maculatam velle videri?
    Num te, num sanctae vincula legis agunt?
Iudaeis, oblita tui, te matribus infers,
    Quum tibi sit tantus virginitatis honos?
Sic fabar: templi limen iamque illa premebat,
    Et Sponsae Ioseph it comes ipse suae.

Interea Simeon, magnam cui lumine mentem
Omnipotens lustrans, abdita fata docet,
Ingreditur iam templa, gravi venerabilis aevo,
Plurima cui mento candida barba nitet.
Iampridem hic lacrimis superos precibusque fatigat,
Promissum ut tandem dent sibi nosse Deum.
Vota cadunt: iam mens agitur, lux insilit alto
Vati, fatidicos qui dat ab ore sonos:
O tandem placida compostus pace quiescam,
Accipiat cineres iam bona terra meos.
Vidi oculis Puerum, nostrae qui gloria gentis,
Quique aerumnosi est una salus generis.
Iam fugiunt tenebrae, terris immissa coruscat
Iam lux atque novum splendet in orbe iubar.
Magna Parens cupidis astans haec auribus hausit,
Multaque maternus gaudia mulcet amor.
Tu quoque festiva redimito tempora fronde,
Ierusalem, et multo spargito flore vias:
Gestiat urbs omnis, praesens et Numen adoret,
Fundat votivas turba reclina preces.
Quandoquidem Salomon quum primum attolleret aedem,
Ferveret artificum quum studiosa manus,
Plurima et intactas quum victima tingeret aras,
Mixtaque fumarent tura sabaea thymo,
Tunc Pater omnipotens aderat delapsus ab alto
Ritibus, at caeca conditus in nebula:
Nec potis insignis tum templa subire sacerdos,
Limina non ullo transilienda pede.
Nunc qualis quantusque Deus tractabilis offert
Se manibus, cunctis libera templa patent.
Eia age, Ierusalem: Vatum quae fausta canebat
Ultimus [1], eveniunt: hic Puer ipse Deus.

At Simeon explere nequit sua lumina visu
Infantis, laeto quem premit in gremio.
Amplexus iterat caros et cara labellis
Plurima cum lacrimis oscula figit amans.
Dein infit: Mulier, multis heu! causa ruinae
Hic Puer et multis causa salutis erit.
Atqui ego non cernam: tanto me vita dolori
Haud servat: vires corpore deficiunt.
Tu Nati aspicies laceratum vulnere pectus
Attritumque, Parens heu! miseranda, nece.
Hoc iacula in signum ferient, et clara patebunt
Consilia, atque animis abdita quaeque latent.
Dixerat: in tristem mutantur gaudia mentem
Parthenidos: miserae quantus amaror inest!
Non secus ac nitet aestivo quum tempore caelum
Et sol purpureo fulgidus axe micat,
Nubibus extemplo densis obducitur aer
Ac circum tenebris horret ubique polus,
Grando ruit pluviaeque immenso gurgite inundant,
Et rapiunt segetes et sata laeta boum;
Sic subito Virgo saevo transfigitur ense,
Durius heu ipso funere supplicium!
Nam vox usque Senis maternas personat aures,
Verbaque fatidici tristia corde sedent.
Da tecum moerere mihi, moestissima Virgo,
Mens mea dum tantis exagitata malis
Fluctuat: impietas nam debacchatur inulta,
Et miseros inter bellua saeva furit
Dentibus et laniat diris. At tu, bona Mater,
Aegris ah nimium! quippe levamen eris.

(1) Malachias.

ELEGIA II

DE MARIA IN AEGYPTVM FVGIENTE

Ut sancti Reges aulam subiere tyranni
Atque illi faciles explicuere animos,
Heu quantus furor insedit tum pectora! iam iam
Ignotum excidio perdere stat Puerum.
Hinc monitu superum patrio de litore Virgo
Ire hospes terras cogitur in pharias.
En Natum moerens humeris imponit aselli,
Et longae Ioseph it comes usque viae.
Quis poterit tristes fugientis dicere curas
Quantaque virgineum discrucient animum?
Nulla quies illi, nulla illi commoda somni;
Pergit enim noctu, pergit anhela diu.
Aut vox si qua sonet, ventis aut flantibus arbos
Obstrepat, insectans agmen adesse pavet:
Sic procul in silvis fremitum vix cerva leonis
Audit, praerapidis acta fugit pedibus.
Ast una ante omnes felix, memphitica tellus!
Felix, quae tantum porrigis hospitium.
Hic Deus ille, tui quem olim sensere parentes,
Et monstris sensit terribilem Pharao:

Tempore quo Moses nequidquam horrenda canebat,
Ut miseros vinclis solveret Isacidas.
Impius irridet rex, atque incredulus odit
Iussa Dei, et fessis colla labore premit.
Addit opus cumulatque minas: nil ferrea flectit
Corda, licet monstris visus adesse Deus.
Hinc fecunda avidae populantur culta locustae,
Puraque sanguineis fontibus unda rubet.
Innumerae putri saliunt e gurgite ranae,
Et foedo miseris ulcere membra tument.
Abreptosque uno matres flent funere natos,
Et triduum obtenta nocte ruunt tenebrae.
Tunc vero isiacis invitus cedere terris,
Et Deus Abramidas quo vocat, ire sinit.
At mox poenituit; dura heu mortalia corda!
Cedentesque furens nocte dieque premit.
Quid faciunt? rupes hinc montibus impendentes,
Porrigitur tumidis hinc Erythraeus aquis.
Interea Moses animosior aequora virga
Percutit, en late dissiluit pelagus,
Et rectis murum referens circumstetit undis:
Isacidae hinc siccis transiliunt pedibus.
Post ipse, immensos agitans peditesque equitesque,
Insuetum Pharao per mare tentat iter.
At contra effusus magno cum murmure pontus
Solvitur, iniectis et ruit imber aquis.
Ingenti una omnes rapiuntur gurgite, et altum
Quot late exhorret turpe cadaveribus!
Haec fuerunt olim: sed nunc diversus ab illo est,
Eia, exurge: tibi maximus hospes adest.
Ne moles illi, neve alta palatia regum
Ostentes, nec quas tollere pyramidas

Ambitio in nubes ausa est, fulgentiaque auro
    Delubra, et pingues, quas parit amnis, opes.
Divitias fastumque odit; sed dulce recessus
    Atque humiles illi est incoluisse casas.
Verum ne pigeat tantos perferre labores
    Ac durum ignotis finibus exilium,
O Bona, tam cari capitis cui credita cura est,
    Ut patriis reddas sedibus incolumem.
Sollicita ah! serves per tot discrimina Gnatum,
    Ne quis forte pedem dente petat coluber,
Neve umbris nox officiat subfrigida, neu sol,
    Ardenti medium dum vehit axe diem.
Nec timeas valles errans et inhospita saxa,
    Nec quaeras tutum qua magis esset iter.
Namque Palaestinae te diffugisse tyrannus
    Nescit, et aetheria servat ab arce Pater.
At procul a patria subeat ne cura tuorum,
    Natalemve tibi visere velle domum.
Hic heu quot luctus, quot funera dira ministrant
    Arma viri! innocuo tecta cruore madent.
Et vos, Bethlaeae, vos dulcia pignora, matres,
    Dum licet, ah nemorum condite sub latebris!
Securo potius, Virgo, laetare recessu,
    Grata canopaeis incola litoribus.
Nunc Api gens caeca et nunc operatur Osiri
    Foedatque infandis fana libidinibus.
Te veniente, dii fugient, stultissima turba:
    Aspectu flet purior illa tuo.
Tempus erit, sancti heroes quum finibus orbis
    Desertae advenient in loca Thebaidos;
Delicias et opes et commoda quaeque perosi,
    Ieiuni longos continuare dies;

Et desideriis vitae bona iuncta perenni
Urgere, et manes regna habitura pios;
Teque colent, tua devoti vestigia quaerent,
Atque haec exilio tecta verenda tuo:
Et repetent passam pharia tellure labores,
Et modo quod tristi pectore vulnus alis.

ELEGIA III

DE MARIA IN PVERI IESV AMISSIONE

Anxia cur tanto premitur mea Virgo dolore?
Et fertur celeri cur mea Virgo pede,
Ut comites quotquot redeant ex urbe propinquos
Ierusalem crebris quaeritet alloquiis?
Non secus ac pipiens agitata vagatur hirundo,
Dira nimis fetus cui manus abripuit.
Quandoquidem Solymis, postquam festiva peregit
Tempora, Virgo pedem visa referre domum;
Iamque dies aberat, quum longo errore viarum
Dulce peregrinos excipit hospitium.
Cognatos inter frustra Puer atque sodales
Quaeritur: heu Matris cesserat ex oculis!
Heu miseram Matrem! quis te solabitur? illo
Amisso credin' vivere posse diem?
Quid mihi, quid iactant, Salomon, tua carmina sponsam,
Quae vacuo surgens irrequieta toro
Exilit, et totam dilectum nocte per urbem
Prosequitur passim per fora perque vias?
Quando magna Parens crudeli saucia cura
Sollicitis omnes questubus alloquitur:

Vidistis numquid Puerum, cui nomen Iesus,
Qui mecum festo nuper in urbe fuit?
Unicus est mihi, bissenos vix attigit annos,
Ingenuus dulci fulget in ore lepor;
Purpureas habet ille genas, flavosque capillos,
Et divus puro lumine spirat amor;
Succingit lumbos, stringunt sandalia plantas,
Candida candidula corpora veste tegit.
Vidistis? monstrate; mihi nam carior ipsis
Est oculis: vita carior ille mea est.
Haec Mater frustra. Tenebris nox humida caelo
Ingruit, et lassos iam tenet alta quies.
Verum qui miserae claudantur lumina somno,
Fessa licet, dum mens anxia pervigilat?
Parthenis insomnem ducit moestissima noctem,
Heu et materno pectore quanta movet!
Quis mihi te rapuit, Fili dulcissime? quis te
Detinet? i, Ioseph, i, repetenda via est.
Dive Puer, terris te vix pastoribus ortum
Insueto monstrant carmine caelicolae;
Quin et longinquis orientis regibus antro
Ad Bethleem miro sidere sternis iter;
Et te praesentem tellus aegyptia novit,
Quum simulacra deum vana repente ruunt:
Cur ergo Matri sic, Gnate, absconderis uni,
Qui miserae terris omnia solus eras?
Ah! te nulla latent: quanto mea corda dolore
Uruntur! Matris num tibi cura tuae
Excidit ex animo? saeva heu! quum tanta moneret,
Fatidicus non haec praecinuit Simeon.
Dicite, Caelicolae, lateat qua dulcis Iesus,
Aut caelo aut terris, dicite qua lateat.

Et quamquam caelis vosmet consideret inter,
Clamarem: Meus est, et mihi subriperem.
Quo te cumque feras, sectabor; namque beata
Sum tecum vili, Nate, vel in stabulo.
Non mihi solamen, si Mater ego abfore longe;
Abfore me a caro pignore discrucier.
Talibus illa; et vix aurora fugaverat umbram,
Exurgit, Solymas stat remeare gradum.
Tum relegens errata agitur celeri pede Virgo,
Nec mora, nec requies; approperatur iter.
Atque ubi diversos ostendit semita calles,
Incertas anceps it repetitque vias.
Ter iam sol caelo rutilans effulserat alto,
Ter iam nox tenebris sparserat atra polum:
Tandem urbem ingreditur, cupienti lumine lustrat
Omnia, sollicita tunc prece templa subit.
Aspicit hic Natum, procerum stipante corona,
Hic audit divos effluere ore sonos.
Tunc tristes fugiunt curae, tum gaudia mentem
Pertentant, dulci victus amore dolor.
Amissu Pueri tantos experta dolores,
Ah! precor, alma Parens, in mea vota fave;
Ut nusquam Iesum amittam, vitalibus auris
Dum vescar; Iesu mente animoque fruar.
Non mihi sint gemmae, non copia divitis auri,
Nec me vana hominum fama per ora ferat:
Non mihi deliciae, vitae nec commoda, nec quae
Scilicet immeritum, purpura sacra tegit.
Vita mihi Iesus, mihi Iesus una voluptas,
Ultima vox Iesus, pectoris unus amor.

ELEGIA IV

DE MARIA IN OCCVRSVM IESV CRVCEM FERENTIS

Horrida quis referat dirae spectacula pompae,
Quae Solymis nostros volvitur ante oculos?
Cornua iam clangunt, apparet funebre signum,
Turbaque carnificum plurima pone subit.
Nudi membra, latus tantum cinctura revincit,
Terrifici vultus, caecus in ore furor.
Quisque manu praefert quot sunt feralia mortis:
Eheu crudeli mors properanda cruce!
Et cunei et funes et acuta cuspide clavi,
Mallei, et immixto pocula felle meri.
Inscriptum tabulae titulum gerit ille trilinguem,
Iste gerit scalas et gerit iste sudes.
Insequitur romana cohors, indigna triumpho,
Insons quo tristi perditur invidia.
Inde atque inde latro, manibus post ligna revinctis,
Succinctus tunicis unus et alter adit.
Infandum nimis heu et lamentabile visu!
Incertis Christus passibus hinc graditur:

Nam flagra et spinae quantum eduxere cruoris!
Languidus et fractis robora fert humeris.
Squalet barba, horrent concreti sanguine crines,
Quos premit immiti texta corona rubo.
Effetae vires, morientia lumina; pallet
Os divum et multo vulnere membra tument.
Sanguineis passim linquit vestigia plantis;
Vix potis, obstrictus fune, movere pedem.
Tum matrum devota manus pavidaeque puellae
Occurrunt, largis fletibus ora rigant.
Est genitrix, rediviva Naim cui reddita proles;
Gestit ovans, quum iam moesta daret tumulo.
Est quae sidoniis egressa e finibus, illi
Obvia fit, flexo poplite tristis humi
Procumbit, planctu votisque ardentibus urget;
Et nata e mortis faucibus eripitur:
Est et quae puteo Sichar mirata loquentem,
Deserit adversas tacta dolore vias.
Ast una ante omnes, vera huic dat nomen imago,
Approperans mulier linea vela tulit,
Et Iesum miserata, fluentem sanguine vultum
Et sudore piis tergere avet manibus.
Hic monstrum; pietas non haec sine fenore: velo
Sic diva extemplo pingitur effigies;
Ut rerum species mira nunc cernimus arte,
Quas obiecta cito lucis imago refert.
Et merito divina tibi sic redditur icon:
Iamdudum hanc casto pectore pinxit amor,
Ex quo bissenos tu fluxum sanguinis annos [1]
Perfers, humana nec fugit arte labor:
Spes tibi certa subit, et morbus fugit illico, vix dum
Sacra est furtiva fimbria tacta manu.

Hinc alias inter Christum comitata sorores,
Tantum fert munus pectore sub memori.
Interea miserae Matri iam nuntius ibat
Funereus; properat nam fera turba necem.
Qualiter in silvis repetens ubi cerva cubile,
Si teneros avido dente leo catulos
Abripuit, pedibus rapidis nemus omne pererrat,
Qua perfusa novo terra cruore madet:
Exilit alma Parens, quaerit vestigia Gnati,
Monstrat sanguineo qua via trita pede est.
Iamque propinquabat, iam dulci est obvia Iesu:
Heu visus! quisnam temperet a lacrimis?
Talia quis fando referat? vos dicite, Divi:
Dicite quae mens, qui sensus utrique fuit!
Pallentem attritumque gravique sub arbore vidit
Parthenis, ac tantis luctibus obstupuit.
Ter conata loqui, desunt ter gutture voces,
Et nequeunt lacrimas elicuisse genae.
Aspicit et Matrem languenti lumine Christus,
Nam vellet miserae ferre levamen amor:
At subito fractus vires et languidus artus
Decidit, immani robore pressus humi.
Tortores pugnis deiectum et calcibus urgent:
Horrendum! ah videas iam, Pater omnipotens,
Ah Natum videas humilem sub pondere mortem
Oppetere: ah saevis eripias manibus!
Agmina Caelicolum gladiis flammantibus adsint,
Perdatur forti turma nefanda Deo.
Sit satis, atque aegrae subeat tibi cura Parentis:
Credin' eam diro vivere supplicio?
Sic servas Isac, quem iam mactabat ad aras
Abraham; sic aries victima sacra cadit.

Sit satis... at frustra: Solymis iam cessit Iesus;
Inde gravi sequitur vulnere moesta Parens;
Et matrum gemebunda manus comitatur euntem:
Siccis quisnam oculis tam fera ferre potest?

(1) Veronica, ut quidam censent, eadem quae et Haemorrhoissa Evangelii.

ELEGIA V

DE MARIA AD CRVCEM IESV

Nunc est feralem Solymorum scandere montem,
Pendet ubi sacra victima diva cruce.
Hic iam Virgo piis stipata sororibus astat;
Non equidem Natum linquere posset amor.
Et comes hic fidus Ioannes perstitit unus:
Ne quaeras alios: deseruere Ducem.
Sic pavidae fugiunt pecudes pecudumque magistri,
Quum subito magno murmure grando ruit.
Petrus abest, quamquam Iesu iurasset amanti
Et vinclis illum et morte minante sequi.
At Christum negat, infelix! periuriaque addit:
Vana heu corda hominum! vota tulere noti.
Sed sceleris mox poenituit, secessit in antrum,
Moeret: quanta animis insidet anxietas!
Sol illum flentem, flentem nox cernit et usque
Extrema terris vivere tristitia;
Donec post tantos fidei tibi, Roma, labores,
Ianiculi sacram sanguine tingit humum.
Golgothae et in medio crux Christi attollitur alte,
Crux fera nodosis aspera corticibus,

Infabricata, ingens: titulus patet arbore summa:
Supplicii e trabibus pendet utrimque latro.
Immanis visus! vultu iam pallet Iesus
Semianimis, iam mors frigida membra tenet.
O bona, tu, Cleophe, tu, Martha, et nupta Salome,
Nunc et funereo vertice quisquis ades,
Tam diro, obtestor, spectaclo avertite Matrem,
Quin Natum ipsa suum viderit exanimem.
Sara, ferunt, Isac saevi fuit inscia fati,
Hostia quum iusso patre litanda foret.
Liquerat et partum desertis finibus Agar,
Ne spirantem animam cerneret ipse sibi.
Abripite hinc Matrem; imas urit cura medullas;
Occumbet poenis; hinc, precor, abripite.
Frustra haec iactabam; nam Virgo immobilis haeret:
Non secus annoso robore firma manet
Quercus opaca, ingens, nullis avulsa procellis,
Aut scopulus tumidis ad mare pulsus aquis.
At voces scelerata cohors vomit ore nefando:
Eia age; si vere es magna Dei Soboles,
E cruce descendas; te serva, Christe, tuamque
Exere vim; nostris te rapias manibus:
Quique alios aufers e mortis faucibus, ergo,
Si Deus es, nostris te rapias manibus:
Destruis, et triduo iactas te condere templum,
Si valeas, nostris eripe te manibus:
Parte alia sibi carnifices contendere vestem
Audires, propria texuit ipsa manu
Virgo, ac per totum fuerat non sutilis orbem:
Sorte trahunt; vates sic cecinere sacri.
Haec feriunt Matrem crudeli cuspide; nusquam
Terrigenis maior visus inesse dolor.

Forti animo stat firma tamen, cruce firmior ipsa;
Saucia nec fletu corda levare potest.
Filius at Matrem trunco miseratus ab alto
Languida defigit lumina semianimis.
Quisquis ades, linguis faveas; extrema profatur
Iam Christus: Mulier filius ecce tuus;
Sic Matri: largis dein fletibus ora rigantem
Ioannem cernens, Haec tua Mater, ait.
Omnes ingemuere: stupens tum Virgo cucurrit,
Ut saltem caris oscula det pedibus.
Incassum: ligno tantum dat brachia circum;
Quandoquidem sic trabs altius erigitur.
Interea subito solis nitor obscuratur;
Ingruit insuetis horrida nox tenebris;
Concutitur late tellus, montesque dehiscunt,
Tecta ruunt, mundum dissiluisse putes:
Ac pia functorum patefactis turba sepulcris,
Prodit; et arcano pulsa pavore Sion.
Accurrit templo; velum sed scinditur ambas
In partes; trepidos horrida monstra fugant.
Expirat Iesus: tremere omnes, linquere montem
Aspiceres: haeret Parthenis una cruci.

ELEGIA VI

DE IESV E CRVCE IN MATRIS BRACHIA DEPOSITO

Iam tenebrae caelis abeunt, iam terra quiescit,
    Sed pavor in totam regnat adhuc Solymen.
Quisque domi timidus, monstris exterrita mens est,
    Desertaeque viae mutaque templa silent.
Ipse Annas primum, caedis fabricator iniquae,
    Dicitur ingenti diriguisse metu:
Huc illuc curis errat furialibus actus,
    Mox amens imis abditur in latebris:
Sic foedus Cain fraterna clade vagatur,
    Et terris homines nocte dieque pavet.
Ah Solyma infelix, superum quanta imminet ira!
    Heu quantum templo et civibus excidium!
En te romanae vallo cinxere phalanges:
    Vae tibi! iam vindex saevit in arma Titus.
Undique mors luctusque horrorque incendiaque alta!
    Fiunt quae miserae praecinuit lacrimans
Christus, in indigno qui nunc exangue cadaver,
    Immane ah facinus! stipite pendet adhuc.
Hic immota Parens stat dilectaeque sorores
    Zebdaeoque satus; cetera turba abiit.

Quid facerent? alto quisnam deponere ligno,
Et divum posset condere corpus humi?
Talia volvebant animis: qui Arimathide ab ora
Et simul ipse comes Nicoademus adest;
Omnibus instructi, queis membra refigere ligno
Sufficiant; multus pone subit famulus.
At festiva dies instat; tunc urbe ministri
Mittuntur: geminos hi cruce semianimes
Conficiunt nece latrones, sublataque pinis,
Ut mos, confestim corpora dant tumulo.
Fit monstrum interea, cecinit mens provida vatum
Quod nova Parthenidi causa doloris erit.
Quandoquidem miles galea spectandus et hasta,
Longinum dicunt, insilit altus equo,
Approperat Christique latus transverberat ictu,
Hinc late mixto sanguine manat aqua:
Et vulnus cordi Matris quoque figitur imo.
Cur, Romane, tuas sic scelerare manus
Audes? extincto parce: at quid demoror ultra?
Quid? culpa oh felix! hinc tibi oborta salus:
Ablueris, totusque animo mutaris, et inter
Romulidas Christi primus ovile tenes.
Teque Petri magno in templo venerabitur orbis (1),
Quae Iesu pandis, Lancea sancta, latus,
Dum dormit, quo Sponsa oritur dulcissima: sic iam
Prima parens, Adam dum tenet ossa sopor.
Verum Nicoademus et ex Arimathide truncum
Conscendunt, linis et sacra membra tegunt.
Desilit interea, Genitor quam misit ab altis
Sedibus, Aligerum lecta cohors iuvenum.
Dant moesti violas et pallentes hyacinthos,
Et proni divum corpus honore colunt.

Parte alia exoritur questus clamorque sororum:
Funerei audires saxa referre iugi
Moerentes planctus et femineos ululatus,
Dum caras Virgo amplectitur exuvias;
Et palmas videt et terebratas cuspide plantas,
Proh dolor! et lato vulnere pectus hians;
Tabentem barbam foedos et vertice crines
Quaeque alte figunt spinea serta caput
Et vultum, quo non fuerat formosior alter,
Squalentem; et dira frigida membra nece.
Quisnam oculis, pia Virgo, meis det flumina fletus,
Ut tecum tantis luctibus illacrimem?
Me me, qui feci, decet ingeminasse querelas
Angier et magna cordis amaritie.
Namque meas Christus persolvit funere poenas,
Ipse mea effuso damna cruore levat.
Probra mihi, mihi sanguineis iterata flagellis
Verbera et infixis aspera serta rubis.
Crux mihi: sic merito factis, ego digna rependam,
Et mea sic iuste crimina morte luam.
Si rupes etiam abruptae sensere dolorem
Et duri silices dissiluere iugi,
Ipse miser saltem gemitus et pectore questus,
Et tibi moerentes persoluam lacrimas.
At sancti proceres, venerati corpus Iesu,
Plura sacris libant oscula vulneribus.
Dein lymphis de more lavant, unguenta ministrant,
Linea dant niveis vincula textilibus.
Interea nox atra polo diffuderat umbras:
Rite novo Christus conditur in tumulo.

(1) Sacra Lancea Romae in aede Vaticana colitur.

ELEGIA VII

DE MARIA AD SEPVLCRVM IESV

Haud procul indigno cecidit quo victima monte
  Christus, ut a vinclis solveret omne genus,
Hortus erat late solus, cui plurima sepes,
  Arboris et nullo moestior umbra loco.
Rivulus hic inter scopulos abruptaque saxa
  Flebiliter leni murmure ducit aquas.
Nulla hominum vox hic, nulla hic vestigia; tantum
  Aura strepit foliis, dulce queruntur aves.
Et lentae salices et funereae cyparissi
  Desertique specus, omnia flere iubent.
Hic patrio de more recens in rupe sepulcrum
  A Rama Ioseph condidit ipse sibi.
Cella intus satis ampla effosso clauditur antro,
  Nullus ubi extremas rettulit inferias.
Illatum huc fuerat corpus venerabile: saxum
  Huc admotum ingens ostia condiderat.
Et Magdalene et Cleophe moerensque Salome
  Astiterunt madidis ante sepulcra genis.
Et fundit Ioseph et Nicoademus odores,
  Et myrrhae atque aloes pinguia dona tulit.

Compositae postquam exuviae, luctusque resedit,
Quisquis abit, circum cetera nocte silent.
Interea tumulum romano milite cingunt:
Heu mens caeca! Deo numquid obesse potes?
Tun Iesu retinere putas de morte triumphum,
Tertia quum terris splendida lux aderit?
Fessi custodes somno vinoque recumbunt:
At vero nullo fessa labore, dolens
Evigilat mea Virgo sedetque immobilis antro,
Nigranti velo tristis operta caput.
Multa movens animo recolit quum paupere tecto
Nazaridum oranti nuntius Ales adest,
Conceptumque Deum, dictu mirabile! pandit,
Parthenidos quin hoc officiat decori:
Et repetit visam Elisabetham et gaudia partus
Divini, laeta et carmina Pennigerum
Bethlaeum ad stabulum, et felici nocte vocatos
Pastores, pura munera lata manu:
Et subeunt, ducti qui miro sidere, reges
Tus, aurum, myrrham, mystica dona, ferunt:
Et crescens virtute Puer, crescentibus annis,
Et fabri longo lassa labore manus:
Quique praeit Vates, Iordanis et abluit unda,
Ac missum Iudae monstrat adesse Deum;
Atque avidae magno certantes agmine turbae,
Quae pendent, divum quum fluit eloquium,
Oblitaeque sui instant, oblitaeque suorum,
Et miranda stupent et benefacta Viri:
Ac proles, mortis iam questus, reddita matri,
Ac putri excitus Lazarus e tumulo:
Et plebs exaturata, et laetum carmen, ovantes
Quod palma atque oleis ingeminant pueri.

At sibi continuo subeunt quam tristia facta!
Et flagra et spinae suppliciumque crucis.
Haec Matrem lacerant peracuta cuspide: magnus,
Ut mare, virgineo pectore moeror inest.
Eia age, diva Parens; dedimus sat corda dolori:,
Sume animos, neu te iam amplius excrucies.
Dum Gnati sacro conduntur membra sepulcro,
Innumeris circum spiritus Aligeris
Ingreditur cinctus tenebrosam victor abyssum,
Iamque triumphantem tartara nigra tremunt.
Inde pios lustrat manes, qui tempore longo
Ah! votis sedes percupiunt superas.
Panduntur tandem portae stellantis olympi:
Felices animae regna beata petunt.
Scis bene quod tumulo, devicta morte, resurget,
Tertia quum caelo fulserit alma dies.
Nos miseri, bona Mater, nos genus aerumnosum;
Queis nunc tanta, vides, incubuere mala.
Ingruit en hostis, patriae mentitus amorem,
Et quidquid sanctum est religione rapit.
Vidimus e sacra deiectos aede ministros,
Pellitur ipsa suis virgo dicata focis:
Sacrilega dirupta manu sunt templa; sacerdos
Est vetitus summo sancta litare Deo:
Purpureique Patres dispersi, et plurima Christi
Iampridem luget plebs viduata duce:
Saeviit et bellum, Laureti florida passim
Arva nimis fido sanguine tincta rubent:
In fera pacificus compellitur arma colonus,
Rustica pro gladiis linquit aratra manus:
Nulla fides dictis, agitatur mobile vulgus,
Et caecum infelix in sua damna ruit:

Libertas sine more procax: impune iuventus
Probrosis exlex pascitur illecebris.
Flet Pius augusta populos ditione revulsos
Tam caros, nec iam est qui ferat ullus opem.
Terge Pii lacrimas, tantos miserata labores;
Pace Pio tandem da, bona Virgo, frui.

AN. MDCCCLXIII

ITER CRVCIS I. C. D. N.

ELEGIAE XIV

ITER CRVCIS I. C. D. N.

ELEGIAE XIV

DEIPARAE VIRGINI PERDOLENTI

O quae, Virgo Parens, primum vestigia Gnati
Quaeris amans, sacrum qua Cruce tendit iter (1),
Et relegis poenas fletuque miserrima fundis
Quae loca divino sanguine tincta rubent;
Accipe quos elegos animi depromit amaror:
Namque vides quantis obruar ipse malis.
Utque tuos lacrimans cecinit mea musa dolores,
Te duce, nunc moestam pergat inire viam.
Sic mihi, si tecum Crucis, o bona Virgo, labores
Mente pia recolam, dulce levamen erit.

(1) Traditum est Deiparam saepe lustrare consuevisse Hierosolymis ea loca quae singularem aliquam Passionis D. N. I. C. memoriam afferrent: ex quo factum ut ipsi Deiparae origo piae illius exercitationis, quae *Iter Crucis* dicitur, censeatur adscribenda. Longitudo huius itineris, quod hodie Hierosolymis appellatur *Tarik el Alam* — *Strada della Passione* — est passuum CM iuxta Can. Hyginum Martorelli in opere recentiori quod inscribitur: *Terra Santa*, *Aspirazioni religiose*. Vercelli Tipogr. De-Gaudenzi 1865, pag. 485. Notandum tamen est, quinque extremas, ut aiunt, stationes modo comprehendi in templo S. Sepulcri, iuxta opus italicum *Viaggi di G. Cristo di C. M. D. M.* Milano dalla Soc. Tip. de' Classici italiani 1881, pag. 390.

ELEGIA I

CONDEMNATVR AD CRVCEM

Qui Deus evertet supremo tempore mundum
    Inque leves cineres igne vorante dabit,
Ingenti Aligerum turma stipatus in aethra
    Parebit, subitum fulgur ut axe micat,
Iudexque insidens solio irrevocabile verbum
    Proferet, ac trepidans audiet omne genus;
Is modo, devinctis scelerati ad praesidis aulam
    Post tergum manibus, ceu reus abripitur.
Ah! quisnam, bone mi Iesu, quisnam improbus ausus
    Haec inferre, ut vix sit tibi forma viri?
Heu ferus ille! triplex praecingit pectora robur,
    Enutrit tigris, saeva leaena fovet.
Quo fulgens abiit decor et color optimus oris,
    Et species, qua non altera amabilior?
Foedatum tabo pectus crinesque revulsi
    Temporaque infixis perterebrata rubis;
Detritique ostri pannus, ludibria plebis
    Impia, vix humerum et vulnera dira tegit:
Vulnera, proh dolor! innumeris geminata flagellis,
    Unde sacer largo flumine sanguis iit.
Elatus multo contra sedet agmine praeses:
    Hinc enses, illinc aenea scuta micant.
Serta caput, gemmata humeros dant splendida circum
    Pallia, sidonio murice sella rubet.

Sed quid tantus honor iuvat? irrequieta tumultu
Mordet cura gravi discruciatque animum.
Haud secus insigni spectatur fronte sepulcrum,
Litterulae auratae, marmora lecta nitent:
Nil intus, visu horrendum! nisi turpe cadaver
Foetet, et obscenis vermibus ossa putrent.
Angitur incertus iudex, qui novit iniquos
Obliqua proceres rumpier invidia.
Insontem agnoscit, pestemque avertere vellet:
Plebs tamen inclamans, ut cadat ille, petit;
Mugit, ut impatiens quum, debacchantibus euris
Adversis, scopulos verberat ira freti.
Quin et visa imis erumpere monstra tenebris,
Et populo ardentes suppeditare faces.
Haec inter, premitur somno dum praesidis uxor
Terretur (1): Christus visus adesse sibi;
Agnoscitque Deum, obiicitur namque Aliger illi;
Est qui Parthenidi missus ab axe puer.
Virgineum cum Matre decus coniungitur una:
Mirum opus! aetherei quod stupuere chori.
Et videt ignotae rerum miracula vitae,
Quando humili iuvenis fungitur arte fabri.
At mox prodigiis dia atque arcana loquentem
Miratur, Iudae hinc livida turba furit.
Haec parent et plura: illa his exterrita visis
Admonet, ut se vir coeptibus abstineat
Tristibus, innocuo foedari et sanguine parcat:
Certa fides, Christum e semine Caelicolum.
Haec habet, et superum Romanus territus ira
Immerito iam iam solvere vincla iubet.
At plebis gliscit furor atque ad sidera clamor
Tollitur; impastus sic fremit ore leo.

— Hic malus affectat sceptrum, hic affectat honores
    Divorum: nec te crimina tanta movent?
Iam caelo Deus, et solio detruditur alto
    Iam Caesar, nec te Caesaris angit honor? —
Vincitur his praeses, populo ceditque furenti;
    Nam quid non cogit vilia corda timor?
Imperat affigi ligno: exhorrescere visi
    Aligerum coetus, intremuitque polus.
Vas iubet afferri, Vos iustum occiditis, inquit;
    Mundus at ipse: palam proluit inde manus.
Tum, Caput in nostrum cruor hic, turba impia clamat,
    Et nostram cruor hic defluat in sobolem.
O genus infelix, quae te vesania torquet?
    Quid vomis in sanctum turpia probra Deum?
Ore venenato linguam, turba effera, ut anguis,
    Exacuis: cladis nuncia lingua tua est;
Scilicet hic sanguis, quem sic testaris in omnes
    Abramidum natos, heu mala quanta ciet!
Eversae Solymorum aedes incensaque templa,
    Perque vias passim mors fera perque domos:
Et vagus in gentes Iudas, terramque pererrans
    Usque palaestinis finibus exul erit.
Quam malles tacuisse, tuis cervicibus insons
    Extremum hic sanguis quum feret excidium!

(1) Matth. XXVII. 19 — Uxorem Pilati, cui nomen Claudiae Proculae fuisse dicunt. a Deo admonitam per somnium autumant plures ex Patribus, ad innocentiam et divinitatem Iesu Christi ostendendam.

ELEGIA II

IMPONITVR CRVX

Nativam ad turrim celsa e regione columbam
 Alternantem alas ut videt accipiter,
Irruit, et praeceps rostro perstringit et ungue
 Securam, guttis tingitur alba rubris;
Haud secus immani, praeconis ut edita vox est,
 Impete tortores incubuere Viro.
Contemptus cumulat plebs et convicia linguae,
 Et verba in sanctum fundit iniqua Deum.
Carnifices tacitum irrident, versantque ferentem;
 Hic barbam evellit, foedat hic ora luto.
Nuper et exutas festinant reddere vestes,
 Detritamque humero diripiunt chlamydem:
Indutum sic quisque Virum ut dignoscat amictu,
 Illudat capto, despiciatque reum.
Usque manent implexa comis suffusaque tabo
 Quae stringunt lacerum spinea serta caput.
Educti tetro gemini de carcere fures
 Adduntur, crudae mortis uterque comes.
Haec dum vestibulum ante ipsum malefacta geruntur,
 Haud procul hinc ferro trabs Crucis icta sonat.
Impius ipse Annas, caedis qui primus iniquae
 Dux fuerat, rabie tigridis urget opus.
Parte alia Iudas, ubi sensit morte Magistrum
 Mulctatum, toto pectore diriguit:

Inde furor vesanus et immedicabile volnus
Exurit miserum dilaceratque animum.
Haud aliter fervens gremio discerpitur Aetna,
Ebullitque imis ignea visceribus,
Quum flammas iacit et scopulos, expallet et omnis
Ingenti montis murmure Trinacria.
Heu laevum me! vociferat miser ille, quid egi?
Quove auri potuit cogere sacra fames?
Ipse egomet ducebam acies, atque oscula fronti,
Horresco memorans! proditor ipse dabam.
In caput ingratum nec iactat fulgura, nec se,
Namque potest, saevis proripit e manibus:
Obvius at vultu facilis dextramque tetendit
Et carae meminit foedus amicitiae.
Quid miserae matri eveniet, quum robore Gnatum
Pendere indigno viderit exanimem?
Iam nequeo perferre diem: discissa profundis,
Obtestor, iam me terra voret latebris.
Concilium his dictis adit et scelus omne fatetur,
Infame ad proceres proiicit et pretium.
Illudunt regeruntque illi: quid inania versas
Serus, et insana quid modo mente furis?
Videris ipse tibi, nil ad nos. Vix ea fati,
Et curae ingeminant et premit ira Dei.
Infelix abit: arrecti stant vertice crines,
Lumina torva, tremor pectus anhelus agit;
Praecipitatque gradum, fatalemque inscius hortum
Advenit: huc nuper tela inimica tulit:
Expavet horretque, invisamque abrumpere vitam
Certus, dum salebras, dum loca senta rubis
Praerapidus currit, ramis pendentibus arbos
Ecce olli medio tramite rumpit iter.

Et mora nulla; latus cingit quae fascia, nodo
Nectitur; eliso gutture vita fugit.
Extemplo tanto quercus perterrita monstro
Arescit foliis, horret et omne nemus.
Interea Christi Crux infabricata paratur,
Haec dederat Libani cedrina tigna nemus.
Nil mage probrosum, nec poena immitior ulla,
Angores longi, difficilesque obitus.
Vix Christo obiicitur, clamat: Crux o bona, salve,
Crux mihi deliciae, Crux mihi solus amor:
Optataeque diu vellet dare brachia circum,
Ast in utrasque negant vincla retorta manus;
Oscula sed caro libat centum oscula trunco,
Suppositisque humeris, dulce receptat onus.
Ah! mihi te liceat teneris amplectier ulnis,
Crux pretiosa, animi spesque salusque mei!
Nam postquam dio tinxit te sanguine Christus,
Omnes per gentes, Crux, tibi partus honos:
Sancta o arbor, ave, generis fiducia nostri;
Nam caeli per te ianua laeta patet.
Te superum chorus Aligerum colit, et fera regni
Tartarei fugiunt agmina teque tremunt.
Tu, pavido suprema dies quum luxerit orbi,
Effulgens magni sideris instar eris;
Luce tua innocuis iter ad caelestia regna;
Aeternum per te sontibus exitium!
Te, Crux, amplectar, maneat dum vita, tuoque
Detur in amplexu condere posse dies.

ELEGIA III

LAPSVS SVB CRVÇE

Atria sed Christus postquam praetoria liquit,
Sanguineos trunco supposuitque humeros,
Ferales crepuere tubae, mora nulla, cruenti
Ad loca supplicii carpere coetus iter,
Et subeunt crucibus devincti brachia fures (1),
Inde cohors atque hinc effera carnificum.
Nec vos, Romulidae, puduit victricibus armis
Turpiter invidiae dira tropaea sequi!
Clangor ubi strepitusque attollitur, excita totis
Plebs effusa, frequens sedibus ecce ruit.
At sensus varii. Insontem hic miseratur euntem:
Mussat et hic: Magno crimine digna luit.
Attamen haud ullus fert quid solaminis aegro,
Tot licet aerumnis ille tulisset opem.
Diffugere omnes, pavidae ceu rure capellae,
Quum subito pastor fulguris igne cadit.
Ah! vos, Aligerum coetus, qui nubibus altis
Astatis solio, quo sedet Omnipotens,
Eia agite, aequaevae vos o succurrite Proli,
Tuque adsis, Michael, qui praeis agminibus,
Qui moestum attritumque pius solaris ad hortum,
Quum guttis rorat gramina purpureis.
Fratribus hoc binis praedixerat ore Magister
Fatidico, mater quum prece sollicita

Ad regni solium laeva dextraque locari
Expetit: at Christus nil nisi moesta docet (2).
Et tu, Petre, fugis? Deus hic, qui in culmine Thabor
Extemplo, ceu sol fulgidus axe, micat,
Et vestes circumcingit nive candidiores:
Arcano hinc Moses visitur alloquio,
Thesbites illinc: Solymis qui fata loquuntur
Tristia, quaeque tuis auribus ipse tenes (3).
Fugit et ipse Petrus, quamvis ad vincla necemque
Iurasset socium semper adesse Duci;
Et vagus et moerens et sensus perditus omnes
Ingemit, et totus diffluit in lacrimas.
Stant animo defixa ferae periuria noctis,
Praescius et galli cantus in aure sonat.
Ploranti ignovit, facilisque aspexit Iesus
Peccantem, tamen haud urere corda dolor
Cessat adhuc; flentem Solyma, atque urbs romula flentem
Aspicient, dum mors clauserit atra diem.
At Christus, tantis affectus corpora plagis,
Dum graditur, crebro sanguine tingit humum;
Genua labant infirma gravi sub robore, tandem
Labitur; haud potis est pondera ferre trabis.
Ac veluti lupus, hiberno quum tempore silvas
Plurima nix altas et iuga celsa tegit,
Ventris succensus rabie, si forte capellam
Errantem e septis viderit aut capream,
Irruit improvisus et acri dente lacessit:
Sic lapsum terris barbara turba premit.
At manus Aligerum proiectum corpore toto
Sublevat, ut coeptum pergere possit iter.
Ni facerent, Christum poenis ingentibus actum
Vidissent media succubuisse via.

Sed magno placitum Genitori, ut collis adusque
Turpe iugum trunci lugubre ferret onus.
Sic lignis Isac montem superabat onustus,
Quo caderet patria victima caesa manu.
Ergo luto erigitur foedus; vestigia casus
Multa rubescentis terra cruoris habet.
Christiadaeque pii recolent loca, namque columna (4)
Noverit eventus indice posteritas.
Haud mihi ferre datum felicibus oscula glebis,
Gressibus et lacrimas iungere, Christe, tuis;
Nam Solymam vidi nunquam, sed saepe verendos
Concessum genibus scandere posse gradus,
Quos mea Roma tenet, Pilati praesidis aulae:
Non est in toto sanctior orbe locus (5).
Hic gemitu, hic lacrimis maculosas sanguine guttas,
Hic pede, Christe, tuo marmora pressa colo.

(1) Iuxta contemplationes A. C. Emmerich, latrones, brachiis retrorsum ad trabem alligatis, ad supplicium ducebantur.

(2) *Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis* (nempe Ioanne et Iacobo)... *Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere etc.* Matth. XX, 20, 21, 22.

(3) *Visi* (Moyses et Elias).... *et dicebant excessum eius quem completurus erat in Ierusalem.* Marc. IX, 31.

(4) Sancta Helena, ut fertur, columnae signo locum huius lapsus notavit. Vide etiam opus, cui titulus: *Viaggi di Gesù Cristo*, pag. 386.

(5) Sic Romae, prope templum Lateranum, inscriptum est fronti porticus, sub qua religiose servantur et coluntur aedium Pilati scalae, quae ideo *sanctae* vulgo nuncupantur, quia eas Christus olim ascendens contactu suo et sanguine consecravit.

ELEGIA IV.

VIRGO MATER

Surgit ut a lapsu, truncum complexus Iesus
Festinat moestam rursus inire viam.
Absumptae vires aegro gressusque labantes:
Magnanimum pectus sed tamen urget amor.
At procul aerumnosa Parens exorat in aede,
Inserat ut magnus vimque animosque Deus.
Anxius adventat Ioannes, O Bona, fatur,
Iam moritur Iesus, o Bona, rumpe moras.
Advolat illa, sui quaerit vestigia Gnati,
Dant ubi feralem classica pulsa sonum.
Decolor os pectusque micans et lumina vultu
Deiecta, et venis anxia vulnus alit.
Fidus Ioannes illi comes, innuba Martha,
Insolabilibus Magdala flens lacrimis.
Quo ruis, alma Parens, moriturum cernere Iesum?
Anne putas proli te superesse tuae?
Obtutu miseri potius te subtrahe Gnati,
Subtrahe, nam quid opis tu, Bona, ferre potes?
Num solari inopem, num lenia dicere verba?
Immanis voces rumpet in ore dolor.
Cernere num implexis poteris sua tempora spinis
Perfossa, et genibus saepe labare gravi
Mole fatiscentem cedri, vultumque tumentem
Avulsamque comam sanguineasque genas?

Siste pedem, mea Virgo,. tuus mutatus ab illo
Heu quantum est Iesus! quem ubere virgineo
Enutris gremioque foves, specieque decora
Insignem cives discupiunt superi.
Ne poenas poenis, ne luctus luctibus adde;
Parce, precor, Gnato, ni potes ipsa tibi.
Quot comites estis, Christo prohibete parentem,
Ne cruce supplicium durius ipsa ferat.
Frustra haec iactabam: lictoribus obvia Mater
Ire videt turpis iam fera signa necis.
Ecce latus gemini tunica cingente latrones
Devincti subeunt brachia roboribus.
Hinc senior musto madidus, saevoque trucique
Obtutu, infandos evomit ore sonos:
Iunior ille solo defixus lumina, mitem
Miratus Christum, plurima mente movet.
Haud tamen haec Matrem rapiunt, unum optat Iesum
Sollicita, hoc uno figitur intuitu.
Visum horrendum, immane! gravi sub pondere curvus
Incertis Christus saepe labat gradibus.
Os squalens, informe, attritaque corpora plagis,
Et facies hirtis sanguinolenta rubis.
Salve, Mater, ait, moerentem ut cernit Iesus;
Illa nihil: renuit verba referre dolor.
Scilicet hic, Simeon praedixit, barbarus ensis,
Qui pectus ferro transigit ancipiti.
Iam te carnifices inter, pila inter et enses
Coniicis, immensis ignibus urit amor.
Ah! sinite, immites animae, ne pellite Matrem,
Amplexus Gnato ne prohibete suo.
En moriturus abit; miserae iam parcite; numquid
Fas dare, cum celso robore pendet, erit?

Barbarus irridet tortor spernitque dolentem,
Saevior et Iesu pectora plaga ferit.
Talibus at magno tandem confecta dolore,
Exanimi similis, Parthenis alma cadit.
Succurrunt properae lacrimis gemituque sorores:
Heu Gnati, heu Matris flebile discidium!

ELEGIA V

SIMON CYRENAEVS

Ergo meo nullum dabitur solamen Iesu?
Arcetur Nato Mater et ipsa suo?
Hunc unum pingues circumvenere iuvenci [1]
Frendentes, inhians obsidet ungue leo.
Nec tamen in tantis angoribus ore querelas
Effundit mitis, nec petit aeger opem.
Et tacet, abreptus plenis ut ovilibus agnus [2],
Quamquam illi culter letifer immineat.
Iam Solymae porta exierat, iamque arva tenebat,
Ad fera Calvari qua iuga ducit iter,
Cum erumpit vox alta — Perit, succedite —: plebis
Fit fragor, ut tumidis quum mare fervet aquis.
Nam fractum, tardis et passibus incedentem
Aspiciunt altae succubuisse trabi.
Auxilium quaerunt, veriti ne forte iaceret
Exanguis media deficeretque via.
Horrent Romulidae truncum, Iudaeus et horret,
Infamis refugit tangere signa necis.
Obvius en quidam e villa cognomine Simon
Qui Solymas oris venerat e Libycis [3].
Hunc pressere duces, ut opem ferat ipse cadenti
Et partem ingentis sublevet ipse crucis:
Namque aetas robusta viro validique lacerti;
Firmarat longus rustica membra labor.
At Cyrenaeus negat hac se mole gravari
Incassum: cogunt subdere colla iugo.

Interea patrem stipant e rure secuti
[4] Filioli, atque altis questibus illacrimant.
Oh felix Simon! Christum cui contigit uni
Solari atque hominum ferre salutis opus.
Da mihi, da, si te pigeat succedere ligno;
Quam suave est Iesu tollere posse Crucem!
Scilicet inviti pietas haec fenora sumet:
Impendet patiens munera quanta Deus!
Obstantem frustra Christus nam luce benignus
Aspicit, et guttis immaduere genae.
Ignarus nunc tu caecis obvolveris umbris [5],
Nec potis es certum quaerere lucis iter.
Dum sequeris Christum, iam totus es alter ab illo,
Qui dederas surdis tura nefanda diis:
Insidet et virtus animo, fallacia fortis
Numina contemnis, Christiadumque gregi
Adscitus, sacris quoque te tegit infula vittis,
[6] Pastoremque suum te veneratur Arabs;
Quem Christi praecepta doces legemque sacrorum,
Nec tua crudeli vincitur igne fides:
Nam flammae absumunt corpus, sed sedibus altis
Caelicolas inter spiritus astra tenet.
Simonis non spernit opem, sed mitis Iesus
Haud tamen hoc truncum deserit auxilio.
Quas praeter graditur, sunt magni divitis aedes [7];
Lazarus hic humilis sederat ante fores.
Ille altus tyrio fucatam murice vestem
Induit, et bysso mollia membra tegit.
Et pingui accumbit mensae, crudelis at aegro
Exigui libi frustula parva negat.
Ulcera mendico, nullo medicamine fota,
Lene canis lambit: mitior iste homine.

Verum utrumque rapit tandem mors: dives averno
Excipitur, gremio Lazarus ast Abrahae.
Hic laetus requie: ille siti deperditus ardet,
Et guttam a spreto paupere poscit aquae.
At frustra: immani torquetur vortice flammae
Olim qui felix, nunc magis ipse miser:
Et binos immensa procul seiungit abyssus,
Non huc, non illuc est remeare datum.
Haud secus attritum plagis humilemque inopemque
Nunc Iesum spernit turma superba meum.
Sed mox flagitii poenas luet: impia tristi
Clade ruet; Iesus e nece victor erit.
Nam fert magnanimus suprema ad culmina signum,
Quo mortis rapitur faucibus omne genus.
Sic Gazae Sampson avulsos cardine postes
Impositos humeris ad iuga celsa trahit,
Hostibus Isacidum terror, partique triumphi
Montibus ut summis clara tropaea forent.
Tu tamen, o Simon, consors adscite laboris,
Ah! nimium felix, usque cacumen adis.
Non Iuda satus, at nostrae de semine gentis,
Primus apud Christum fert crucis opprobrium!

(1) Ps. XXI, 13.
(2) Isai. LIII, 7.
(3) Fas est Poetae Cyrenaeum dicere Libycum, quum iuxta interpretes dubium sit, an fuerit ex urbe Cyrenes, quae fuit in Libya, aut ex ea quae in Syria, aut in insula Cypri.
(4) Cyrenaeus filios habebat Alexandrum et Rufum. Marc. XV, 21.
(5) Benedictus XIV in Opere de festis D. N. I. C. haec de Simone Cyrenaeo habet: *Gentilis ne an Iudaeus, imcompertum*. Verum S. Ambrosius in Luc. lib. 10 ita loquitur: *Non Iudaeus est qui crucem portat, sed alienigena et peregrinus*. Et S. Leo in Sermone VIII. de Passione ait: *Non ergo fortuitum, sed figuratum et mysticum fuit, ut sacratissimo Salvatoris opprobrio non Hebraeus quisquam, nec Israelita, sed alienigena subderetur*.
(6) *Tradunt Simonem Cyrenaeum Episcopum fuisse Bostrorum in Arabia, et martyrium igne consumptum ob fidem subiisse*. Calmet Diction. in voce *Simon, X*.
(7) Post quintam, ut aiunt, stationem occurrebat illius hominis praedivitis domus, cuius meminit Luc. XVI, 19. Quae vero de huiusmodi homine narrantur, non inter parabolas, sed inter historica recensenda esse autumant Patres Ecclesiae spectatissimi, atque in primis Ambrosius, Chrysostomus et Cyrillus. Adhuc in *Crucis itinere* locus illius domus commonstratur. *Martorelli Igino — Terra Santa — Aspirazioni religiose pag. 486*.

ELEGIA VI

VERONICA

O genus ingratum, dura et mortalia corda!
Immemori ex animo sic benefacta fluunt?
Aspicite heu! quantis mox tempestatibus actus
Immensis Heros fluctibus obruitur.
Quo fugitis miseri, quos, dum superimminet horror
Funeris, ex orci faucibus ille rapit?
Quo vos, occlusae dudum queis protinus aures
Iam dulces cantus, dulcia verba bibunt?
Quo laesi pedibus, celeri qui curritis ala,
Aut muti, suaves qui datis ore sonos?
Vexantes animas stygiae evasere phalanges,
Quaeque lues bullis inficit atra cutem.
Quin et bisseni Christum et fugere propinqui:
Olli unus miles tortor et unus adest.
Turba triumphanti nuper paeana canebat,
Turba frequens miris exaturata modis;
Nunc ignominias effutit et aspera verba,
Et miserum quantis appetit opprobriis!
(1) At quaenam est mulier, quae nil perterrita turmis,
Irrumpens, sanctos procidit ante pedes?
Neve minae gladiive piam, nec tela retardant,
Nec furor insanae plebis? Adurget amor.
Una haec sub memori benefactum pectore servat,
Una haec moerenti ferre levamen avet.

Namque aegrotanti iampridem fluminis instar
It sanguis, morbus nec medicamen habet;
Ut furtim extremam peragrantis denique vestem
Tangere vix potuit, cominus evaluit;
Porrigit en Christo velum: gratissimus ori,
Sic cara est virtus, admovet ille suo.
Ut speculo radios quum lux collecta refringit,
Illico imago nova pingitur arte vitro;
Sic expressa icon lino veneranda repente
Apparet: tanta haec munera dat pietas!
Turgentes oculi, spinisque minacibus horrent
Tempora, confractis dentibus ora rubent:
Barba revulsa, tumet colaphis et livet imago,
Caedere pallentes qua manus ausa genas.
O felix mulier, tanto quam pignore Christus
Ditat, et ex ipso pignore nomen habes!
Namque tibi sese moriturum pinxit Iesus,
Aeternum nostri munus amoris erit:
Omnis praeclarum hoc facinus mirabitur aetas;
Icon Christiadis nobile pignus erit.
Sancta Icon, magno Petri decus addita templo (2),
Te prece sollicita plebs pia rite colit.
Sancta Icon; sic te Romae demissus adorem;
Te tamen usque meo pectore condat amor.

(1) Hanc illam ipsam fuisse matronam, quae a Christo e sanguinis fluxu sana est facta, ac postmodum in *Crucis itinere* eidem velum ad vultum sanguine et sudore detergendum porrexit, omnino certum non est. Verum hanc placuit Poetae sequi opinionem, quippe quae nonnullis Auctoribus arrisit.

(2) Velum S. Veronicae ad S. Petri in Vaticano asservatur et colitur.

ELEGIA VII

ALTER LAPSVS

Isacidis quum iura daret qui in culmine Sinae
    Arcano est fruitus Numinis alloquio,
Solemnes hircum duci statuebat ad aras,
    (1) Omnigenum populi crimen ut ablueret;
Quem spernunt, probris et onustum moenibus arcent,
    Hic nemorum immundus truditur in latebras:
Te, Iesu, haec monuere: ingrata pulsus ab urbe,
    Quotquot sunt hominum crimina fers humeris.
Indignae voces et te maledicta sequuntur,
    Donec funereo victima monte cadis.
Squalenti fessoque parum solaminis affert
    Simon, quippe gravi robore dorsa premit
Trabs crucis, et lentus graditur, nec spes datur ulla
    Viribus exhaustis scandere posse iugum.
Interea sacrum memorat sub pectore carmen (2);
    Davidis dudum praescia mens cecinit.
— Serva me Deus: en tumidi maris undique fluctus
    Invasere, fremens obruit unda caput.
Immergor limo fundi, vox rauca resedit,
    Dum clamo, nullus prodit et ore sonus;
Lumina defecere mihi, furor impius hostis
    Gliscit; quae nunquam subripui exsoluo.
Me cuncti liquere; meis, velut advena, spernor
    Fratribus, et quantis heu premor opprobriis!

Ad portam qui vina bibunt me carmine ludunt
Obtrectantque; Deus, te tamen, alme, precor.
Eripe, ne coeno infigar, ne mergat aquarum
Tristis hiems, circum quae sine more furit.
Eripe me, Deus, heu! puero ne subtrahe vultum;
Rumpe moras, adsis, auxiliumque feras.
Nosti quae patior, quantisque exaestuo curis,
Angitur et quanta pectus amaritie.
Qui me discerpunt, confestim tristibus umbris
Offusos pudor et dedecus inficiat. —
Talia volventem et tacito sub corde precantem
Militis impatiens impulit hasta virum;
Maturare viam cogunt, ne saucius Heros
Occumbat; medio non procul axe dies.
Concidis heu rursum, Iesu, nullisque levaris:
Concidis, ingenti non trabe pressus, humi,
Pondere sed scelerum sobolis crudelis Adami (3):
Imposita haec humeris morte luenda geris:
Haec potius te, quam crux, oppressere ferentem,
Immane hoc iterum pulvere sternit onus.
Pars ego magna fui molis, qua, Christe, gravaris,
Multo etenim mea te crimine vita premit.
Ah! sine, Nate Deo, neve aspernare dolentem;
Ah! tecum ad montem me sine ferre Crucem.
Da ut myrrhae collem conscendam dignaque noxis
Heic patiar, moriens crimina cuncta piem.

(1) Hircus qui dicebatur *emissarius* — Levit XVI, 21. 22.
(2) Psalm. LXVIII.
(3) Psalm. CXXVIII, 3.

ELEGIA VIII

MVLIERES FLENTES

Qui gemitus alti feriunt, qui sidera planctus,
Culmina dum montis dira caterva petit?
Exiit en matrum Solymorum e moenibus agmen,
Discissum vestes, pulvere turpe comas;
Arreptique manu pueri clamore sequuntur
Plorantes; mugit questubus omne solum.
Haec Iairi uxor [1]; natam crudelis ademit
Mors, immaturos rupit et atra dies:
Christus adest, turbas arcet, dextraque prehensa,
Surge, ait, et matri redditur illa suae.
Horruit haec miseram prolem, ludibria Satan [2],
Evomere et saniem et dentibus infremere;
Nunc in aquas, nunc in medios iactarier ignes:
Dia sonat sed vox, ilicet hostis abit.
Hanc rapuit Iesus ignominiaeque necique,
Quae rupit casti foedera coniugii:
Plebs ardet; Mosis fieri mandata reposcit,
Saxa parant, Heros pulvere verba notat,
Et subdit: Vestrum quisquis sit criminis expers,
Eia agedum primos iniiciat lapides.
Cuncta silent, abiere omnes, servata periclo,
Virtutis tutum femina carpit iter [3].
Est et quae mulier, iam multos curva per annos,
Ad caelum, infelix, lumina ferre nequit:
Hanc ad se Christus nil quaerentem advocat ultro;
Illa statim erecto praedicat ore Deum [4].

Hae pluresque aliae caelum gemituque ululatuque
    Implebant, tunsae pectora moesta manu.
Scit bene quae planctus, quae sit moeroris origo
    Christus, namque Deo condita mente patent;
Inde gradum sistit, languenti lumine dulce
    Conspicit, et flentes talibus alloquitur:
O Solymae matres, cur nam me plangitis? ipsas,
    Vos ipsas, vestram plangite vos sobolem:
Dicetis ventres, qui non genuere, beatos (5),
    Quaeque haud lacte fovet femina progeniem:
Utque ruant montes, orabitis, inque ruinas
    Condant, et miseras terra voret barathro.
Talia si patitur foliis viridantibus arbos,
    Arenti et vacuae frondibus ecquid erit?
Dixerat; et miserandus iter pergebat Iesus,
    Verbaque femineo tristia corde sedent.
O Solyma infelix! quae te bella, horrida bella
    Iam maneant, quaenam dicere musa queat?
Romulidum ultrices en advenere cohortes,
    Circumdant aquilae, cornua saeva crepant.
Obsessam interea scindit discordia gentem,
    Et passim effuso sanguine terra madet.
It macie confecta fames et pallida vultu,
    Ac mater partus devorat ipsa suos.
Immensae sed quid volvuntur ad aethera flammae,
    Et fumi inficitur nubibus atra dies?
Heu! sacrati adytus ardent venerandaque templi
    Limina; consedit tantum opus in cineres.
Infelix urbs! iusta luis poenasque rependis,
    Irrita nec Christi praescia verba cadunt.

(1) S. Marc. V, 22.
(2) S. Matth. XVII, 14.
(3) S. Ioan. VIII, 3.
(4) Luc. XIII, 2. Mulier inclinata.
(5) Luc. XXIII, 29 et seq.

ELEGIA IX

TERTIVS LAPSVS

Concidit heu! iterum montis radicibus Heros,
Quem fractis impar viribus angit onus.
Qualiter oceanus, quum fundo exaestuat imo,
Praecipitesque furunt per vada salsa noti,
Arboribus ruptis et casso remige, navis
Huc illuc tumidis exagitatur aquis,
Adverso donec luctantem gurgite frustra
Aequor inaccesso sorbet hians barathro;
Sic Christus prope mensus iter non passibus aequis,
Offendit nudo in scrupea saxa pede,
Et cadit: immani tollunt stridore cachinnos
Carnifices, stratum pulvere calce premunt,
Verberibusque adigunt, effusae grandinis instar,
Quum pecus et cultos horrida pulsat agros.
Ah! si qua est pietas, o Cyrenaee, parumper
Totum onus immanis roboris adde tibi;
Ne renuas, Crux vile modo atque ignobile lignum,
Vera cano, terris mox honor altus erit.
[1] Eventura cano, specie nec ludor inani:
Nequidquam caecis terra teget latebris
Robur honoratum: nequidquam vertice summo
Exurget vivo marmore sculpta Venus;
Nam magnum facinus capient oblivia nulla,
Neve salutifero tincta cruore loca.

In somnis visum regalis femina signum
Eruet: hoc dudum lumine purpureo
Effulgens late caelo conspexerat alto
Dux belli victor, qua Tibris [2] unda fluit.
Hinc pietas populi, hinc meriti cumulantur honores,
Victricisque Crucis clara tropaea micant.
Si Solymis pugna fractis, volventibus annis,
Rex tantum pignus barbarus abripiet;
Ut redimat Romanus, opes ingentiaque arma [3]
Comparat, et sceptrum qui tenet imperii,
Aurato splendens ostro vinctaque corona,
Ipse onerata sacro pondere terga gerit.
Lumina demissus volvit sub pectore, quantum
Crux haec humano profuerit generi.
Plebs stipata frequens regem miratur euntem,
Et stupet, et lacrimis non caruere genae.
Increscit fletus gemitusque, ubi vestibus aureis
Exutus princeps, ut modo Christus, abit;
Cinctus fune latus, pede nudo, et vilis amictu,
Multa dolens animo, verticis alta petit
Funerei iuga, quoque loco defixus Iesus
Occidit, augustam collocat ipse trabem.
Sperne ergo, Simon, ad portam quive sedentes
Obtrectant vel qui pocula plena bibunt:
Nec modo te moveant, quantumvis carmine ludant [4]:
Eia age, tolle tibi pondera, tolle libens.

(1) Poeta heic refert suum vaticinium ad inventionem S. Crucis, quae postea a S. Helena ibi reperta est, ubi marmorea Veneris statua collocata fuerat ad abolendam Dominicae Passionis memoriam.

(2) Constantino obiecta fuit per visum sanctae Crucis imago, ut omnes norunt, iuxta Tiberim, quum victoriam de tyranno Maxentio reportavit.

(3) Festum Exaltationis sanctae Crucis indicatur, quum Heraclius Imperator eam a Chosroa, Persarum rege, quatuordecim post annis vindicavit, eamque in eodem Calvariae loco statuit, unde fuerat a Persis asportata

(4) Psalm. LXVIII, 13: *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta; et in me psallebant qui bibebant vinum.*

ELEGIA X

EXVITVR VESTIBVS

Postquam emensus iter Christus, postquam aspera quaeque
Passus, et in summo vertice constiterat,
Lictores toto violenter corpore vestes
Sanguine concretas abripuere Viro.
Ille igitur nudus, radiis qui sidera vestit,
Vestit aves pennis, gramine vestit agros!
Crudele heu visu infandumque! haesere cruentis
Artubus obstrictis lanea textilibus.
Scinduntur plagae rursum, guttaeque tepentes
Proh pudor! exuto corpore prosiliunt.
At nil immites tigres, nil dura leonum
Corda movet, saevit quin magis usque furor.
Utque addant poenas ipsa et praecordia vexent,
[1] Myrrhati miscent pocula felle meri.
Ore habituque truces, crines cervicibus hirti,
Turpe latus cinctum tegmine, barba rigens.
Visae etiam nigrae circumvolitare volucres,
Et fudisse fero tetra venena sinu.
Obscurae parent species horrentiaque ora,
Erupta et stygio lurida monstra lacu.
Ignibus ardescunt animi, violentia gliscit;
Nudo illudentes impia dicta vomunt.
O vos aligeri coetus, vos agmina olympi,
Huc agite, atque alis vestrum operite Deum:
Foeda Chami soboles en Christum irridet, ut alto
Ebria quum Noe membra sopore iacent.

Parthenis obriguit visu, curaeque recursant,
Corde movet summo vota precesque Patri.
Annuit Omnipotens; Solyma festinat anhelus
[2] Ionadabes, turmas et ruit in medias
Nil veritus, Dominique sinum praecingit amictu:
Semites felix! hinc tibi parta salus.
Quis tamen et praeda et spoliis potietur opimis?
Abreptas Christo quis feret exuvias?
Fortunate! etenim praesigni munere dives;
Vestibus his prodit mira stupenda Deus.
Clam licet attingas, subito dolor effugit omnis,
Nec medica quodvis indiget arte malum.
Nil modo sit monstri: sileant miracula rerum:
Unus nunc tacita voce loquatur amor.
Instat amor generis labes abstergere nostri,
Sidereas aegris et reserare fores.
Ergo parte alia lictores sorte trahebant
Quam tunicam Virgo neverat ipsa Parens:
Et bene per totum contextam desuper orbem
Quattuor in partes scindere turpe foret.
Hoc quoque iampridem vidit mens provida vatis
Iessidis, sacra praecinuitque lyra.
Edocet et maius votum: namque unica terris,
Sponsa mei Iesu, tu quoque semper eris
Unica, non ullum vestis scindenda per aevum:
Una fides et spes iunget et unus amor.
Christiadas totis divisos finibus una
Coget, teque unus Pastor ubique reget.
Salve, magna Parens, hominum tibi credita cura,
Imperium terris et sine fine datum.

(1) Vide opus cl. viri Mastai-Ferretti, Episcopi Pisaurensis, *Gli evangelisti tradotti e commentati Lib. 19, c. 11* in adnotatione adiecta.

(2) Liceat Poetae uti visis seu contemplationibus Emmerich, quas supra memoravimus, *pag. 443.*

ELEGIA XI

AFFIGITVR CRVCI

Desertis Arabum Moses quum finibus olim
Errantes passim duceret Isacidas,
Ecce venenati spirantes ignibus angues [1]
Infenso populum, nec modus, ore petunt.
Aeneus at serpens malo suspenditur alto;
Aspicitur, subito virus et omne fugit.
Sic Iesum ligno nudum fixere trabali,
Cuspis perque manus aspera perque pedes.
Mirandum facinus! poena par, sorte sed impar,
Hinc latro crucibus pendet et inde latro.
Nate Deo, postquam ferali ex arbore pendes,
Humanae sobolis diluis omne scelus.
Huc ades, o quicumque novum miraris Iacob,
Qui non ipse suis pellibus obtegitur;
Iam generi Pater omnipotens bona cuncta precatur,
Criminis oblitus, probraque cuncta lavat.
Ergo olli grato fundantur pectore sensus,
Et meritas saltem fundat amor lacrimas.
Heu mihi! terrificis horrescunt vocibus aures!
Heu mihi! disperdant impia verba noti.
O qui te ostentas prolem Omnipotentis olympi,
Qui terno attollis diruta templa die;
Si virtus divina, tuo te numine serva,
Linque crucem; tunc te credimus esse Deum.

Si rapis infernis alios ex unguibus, et te
Eripe, et esse Deum tunc tibi certa fides.
Sacrilego proceres morientem his ore lacessunt,
Insultant risu, concutiuntque caput.
Gens ingrata! vorax te sic absumat abyssus,
Sic icta in cinerem fulminis igne ruas.
Sed quid ego...? Iuda infelix, quae caeca tibi mens,
Quae riget immani pectore dura silex?
Nonne tuum cernis Regem Dominumque Deumque,
Iampridem vates quem cecinere tui?
Longinquo reges venientes litore eoi
Ad stabulum, Regi munera dant Puero:
Pontius hunc Iudae compellat nomine Regem,
Hunc Iudae Regem scripta tabella monet;
Hunc expectarunt, alto suspiria corde
Fervidaque antiqui vota dedere patres.
Hic pharii per monstra abrumpit longa tyranni
Vincula, dum nimio colla labore premit.
Hic mare per siccum scissis tibi prodidit undis
Mirum iter, et nimbo tela inimica ruit.
Et dum sol tricies deciesque revolvitur orbe,
Insuetas caeli mittit ab axe dapes.
Et tibi per varios casus, per bella, per hostes
Incolumi, laeta dat regione frui.
Tam bene si de te meruit, crudelis Iuda,
Parce olli; toto corpore sanguis hebet:
Parce: ecquid diris miserum discerpere linguis?
Audin supremum supplice voce loqui?
Ille tibi exorat veniam, nullisque tenetur
Flagitiis; Iudae tantus adurit amor!
Ah! tandem ingratam benefactis exue mentem,
Diro expirantem stipite nosce Deum.

Noscit et ipse latro, divumque hominunque potentem
Fassus eum, supplex regna beata petit;
Accipit, et iucunda preces promissa sequuntur
Haec: Te mecum hodie sidera summa manent.
Ergo sume animos, Solyma, extremamque rogato
Hanc veniam, sceleri parcet et ille tuo.
Aspice ut amplexus non dedignatus amicos
Brachia protendat, sanguineumque caput
Inflectat, mitis morienti et lumine cernat,
Ac tacita, ostendens vulnera, mente vocet!
Haec ego iactabam frustra: ferus audet Iudas
Usque nova, e tristi pocula felle parat.
O miserum genus! haec immanis crimina mentis,
Crudele hoc facinus tempus in omne lues.
Oblitum Regem fugis infamemque repellis
Suppliciis, diro prodis et exitio:
At quot sunt gentes Christum amplectentur amantes,
Attollentque aras, et pia vota ferent.
Ante salutiferum procumbent poplite lignum,
Nec sat; erit multis fenus obire necem
Pro te, mi Iesu, vitamque rependere vitae,
Quae pandit caelos et bona cuncta refert.
Si pudet hunc medios inter pendere latrones,
Nos sequimur, nobis nil Cruce maior honos.
(2) O Crux, silvarum fetu praestantior omni,
Arbos nulla tuo germine nobilior
Et foliis et flore; Dei venerabile corpus
Nam tibi defixum sustinuisse datum est.
Robora nativo mitescant dura rigore,
Fac molli Regis membra cubare toro.
Iusta peto: divina tua mactatur in ara
Hostia, divino sacra cruore rubes.

Tu ratis es, per quam soboles crudelis Adami,
    Aestu erepta fero, naufraga litus habet.
Sic ego: sed templi crepuit tuba; mysticus ut mos,
    Hebraeis agnus victima namque cadit.
Iam Mosis cessat ritus, quem nuntiat agnus,
    Quippe Dei sacro caeditur ipse iugo.

(1) Num. XXI. 9. — Ioan. III, 14.
(2) Ex hymno Claudiani Mamertii de cruce Domini.

ELEGIA XII

MORITVR

Sol caput interea nigra ferrugine cingit,
Intempesta, horrens occupat umbra diem:
Aurea nec tenebras inter dant sidera lucem,
Indignata polo pallida luna fugit.
Omnia testantur morientem elementa Magistrum,
Omnia dant questus, omnia flere iubent.
Nec tamen in tantis moeroribus impia turbae
Probra tacent, animos tristis erinnys agit.
Quin etiam dictis pendentem stringit amaris
Fur, laeva sceleris qui in trabe iusta luit.
At Iesus diris veniam tortoribus orat,
Parce, ait, obcaecat nescia corda furor.
Audiit haec Genitor; dexterque in funere latro
Haud tulit, et socium talibus alloquitur:
Neve Deum metuis, ferimus quum crimine digna,
Et mors iam nostros rumpit acerba dies?
Integer hic vitae atque observantissimus aequi:
Quidne mali gessit quaeve scelesta luit?
Sic ille, et Christum intuitus, Me respice, dixit,
Respice, quum venies in tua regna, Deus.
Cui Iesus; Hodie mecum tu sidera scandes,
Accipiesque tua praemia digna fide.
Immensa o pietas! quisnam spe decidet unquam,
Hoc malo pendens si latro pignus habet?

Sint tua tot scelera, innumerae quot messis aristae,
Sidera quot caeli, poenituisse sat est.
Interea mea Virgo gravi confecta dolore
Perstat, Ioannes evigilatque comes:
Anxia cura negat fletus: exorat, Iesu
Ut moriente simul possit et ipsa mori.
Hinc te, Ioannes, hinc te, moestissima Mater,
Hic vocat, extremos et dat utrique sonos.
Atque illi matrem, et matri commendat amantem,
Hoc supremum homini fenus amoris erat.
Filius ergo egomet tuus, o dulcissima Virgo,
Me fortunatum! tu mihi mater eris.
Tu vero, Pater omnipotens, ah! respice Prolem
Aequaevam, nullum quippe levamen habet;
Aspice. Et ecce Patrem is compellans, Cur, Pater, inquit,
Me in tantis placuit deserere usque malis?
Talia vix fatus, gelido quum corpore sudor
Largior it, fauces torret anhela sitis.
Exiguum poscit laticis, sed arundine summa
Acri porrigitur spongia tincta mero.
Sed quid adhuc sceleri? Complevimus omnia, dicit
Christus, et ingenti talia voce refert:
Accipe spirantem hanc animam, Pater, et caput almum
Dum inclinat, sacro e corpore vita fugit.
Actutum intremuere poli, latebrisque profundis
Undique terribili murmure nutat humus.
Dissiliunt late rupes, gemitumque doloremque
Elicit, irati dum fremit unda maris.
Tu quoque, mons myrrhae, tuque, o Calvaria cautes,
Ad truncum immani rupta gemis barathro.
Intima quodque abdit velum sacraria templi
Discerptum, partes scinditur in geminas;

Quandoquidem novus ingreditur nova templa Sacerdos,
Antiquis ritus et subiere novi.
Abiicitur Iudae populus: Deus omnibus idem
Christus, et omnigenis gentibus una salus.
Aliger et custos Solymorum deserit aedem,
Altisona et cito vox, - Hinc fugiamus -, ait.
Abruptis, fama est, manes exisse sepulcris,
Perque vias passim perque domos Solymae
Pallentes errasse, altisque implesse querelis
Omne solum: monstris obriguere viri.
Tum Caiphas Annasque latent penetralibus imis
Amentes, miris at simulacra modis
Apparent, trepidos levibusque simillima ventis
Insectantur, spes nec datur ulla fugae.
Acriter obiurgant proceres, saevique minantur
Ob scelus infandum iam premere omne malum.
Mors homini merces fuerat peccantis Adami,
At mortem victor diruit alter Adam.
Cuncta monent verum Patrem divumque hominumque
Supremum ligno nunc obiisse diem.
Si tantis natura horret moeroribus omnis,
Ipsaque dat questus tacta dolore silex;
Te, Iesu, moriente, meo de pectore fletus
Eruptus, largi fluminis instar, eat.
Et mea sic tanto liquefiant corda dolore,
Ut cera admoto mollior igne liquet.
Annuis inflectens caput, et mihi brachia tendis
Amplexu, et scissum pandis amore latus.
Vivam uni tibi, Iesu mi dulcissime, et uni
Da tibi, sic oro, te moriente, mori.

ELEGIA XIII

DEPONITVR E CRVCE

Sit sceleri satis: opprobriis iam parcite; plagis
 Parcite: nec sacro corpore sanguis init.
Invida quid feritas, quid non furor impius ausus?
 Proh dolor! in Iesum saeviit exanimem.
Namque latus sero Longinus transigit ictu;
 Hinc bicolor lato vulnere lympha fluit.
Exuviis ergo divis reddantur honores,
 Dentur odorati florea serta croci.
Quis neget inferias? quaevis post fata quiescit
 Ira; ferox animis numquid hyaena latet?
Sic ego dicebam: nigro properabat olympo
 Vesper, et oceano sol caput abdiderat.
Ecce autem gemini seniores scandere visi
 Culmina, servorum plurima turba subit.
Pallia nigra tegunt humeros, tacitique propinquant
 Incessu celeri, moeror in ore sedet.
Hic dives Ioseph Arimathes urbis alumnus,
 Iampridem Christo se addiderat comitem;
Magnanima pietate actus, dum cetera turba
 Diffugit et caecis rupibus occulitur,
Romulidum praetorem adit, ut veneranda Magistri,
 Sic pia mens suadet, corpora reddat humo:
Quandoquidem est illi montis radicibus hortus:
 Hic excisa recens caute sepulcra patent.

Nicoademus adest, noctu visurus Iesum
    Advenit, et diis pendet ab alloquiis.
Vix comites tenuere iugum, loca squalida circum
    Mirantur, luctus, mors et ubique pavor.
Ipsi et latrones, confractis cruribus, altos
    Angores inter succubuere neci:
Horridus ille vomit saniem et fera lumina torvus,
    Hic superum placido spirat ab ore decus.
Haeret moesta Cruci saxoque simillima Virgo,
    Nec sinit immensus reddere verba dolor.
Stant circum effusae crines tunsaeque sorores
    Pectora, moerentes nilque levare potest.
Sic cladem infelix et lamentabile letum
    Natorum firmo pectore Respha (1) videt:
Sollicita accipitrum rostris atque unguibus arcet
    Reliquias, noctes pervigilatque dies.
Ast opus et Ioseph et Nicoademus obibant,
    Nituntur scalis, stupea circumagunt
Vincula, forcipibus clavos manuumque pedumque
    Evellunt, crebris ictibus aura sonat.
Et sensim, veritique novos quasi ferre dolores
    Tam caro capiti, membra refixa trabe
Subiecto tollunt tergo et dant brachia circum:
    Quisque silet, pietas fatur et unus amor.
Virgo, cruentatum Gnati complexa cadaver,
    Figit amans plagis oscula, corde fovet;
Traiectosque pedes palmasque et turpia rhamno
    Tempora et immani vulnere pectus hians
Aspicit: heu miseram Matrem! dolor aestuat imo
    Corde, ipsis lacrimis clausit acerbus iter.
At flexo coluere genu sacra corpora, postquam
    Illimi proceres fonte lavare parant;

Et myrrha atque aloe et guttae stillantis odore
    Condire et lineis volvere textilibus.
O Sindon veneranda, immensi pignus amoris,
    Quaenam iam tanto munere digna canam?
Christiadis tu certa refers monumenta salutis,
    Quum tandem miseris regna superna patent:
Et caput et tergum lacerum palmasque pedesque
    Transfixos, scissum monstrat imago latus.
Quisnam oculis siccis, quisnam sine questubus altis
    Aspicere haec tantae quit simulacra necis?
Immanis Christi necis: haud haec vestis Ioseph,
    Quae haedino obiicitur foeda cruore patri.
O mihi sola mei Iesu morientis imago!
    Te colo, teque meo pectore pingat amor.

(1) Reg. II, Cap. XXI, 10.

ELEGIA XIV

SEPVLCRVM

Non mihi sublimi ferientes vertice nubes
Ostentes, Memphi o barbara, pyramidas:
Non mihi funereas iactes, Etruria, moles,
Invida quas viridi gramine condit humus.
Reliquias tantorum operum texere ruinae,
Et modo vix magni nominis umbra manet;
Et nigrae serpunt hederae, sinuatur et anguis,
Repit saxoso fulva lacerta solo.
Heroum quae busta extructo marmore tollis,
Obruta ruderibus, maxima Roma, iacent.
Audeat haud quidquam contendere posse sepulcro,
Quod Christi sacras excipit exuvias.
Quantumvis nec signa micent pariaeque columnae
Fulgidave auratis littera scripta notis,
Ast humile et solum excisis in rupibus antrum,
Flent ubi demissis lenta salicta comis;
Nulla tamen nox caeca et nulla oblitterat aetas,
Gloriaque increscit sed magis atque magis.
Huic exangue mei speluncae corpus Iesu
Marmoreo illatum deposuere toro;
Tresque locant propter peracuta cuspide vectes,
Poculaque immixto fellis acerba mero,
Hastile et funes et serta rigentia vepre,
Quae capite e caro Parthenis abstulerat.

Ipsa prior tumulum ingreditur, Gnatumque sepultum
Componens, firmo pectore quanta movet!
Crinibus interea fusis spelaea sepulcri
Magdala sollicito tacta dolore subit;
Altos effundit gemitus et perdita sensus,
Ut demens, largas omnis it in lacrimas:
Pallentes spargit flores, prope flebilis hortus
Obtulit, et sacris oscula dat pedibus.
Hos dudum lacrimis et aromate spargit odoro,
Importuna loco tergit et ipsa comis:
Conviva irridet Iudas et mordet avarus;
Christus at hos dulces mittit ab ore sonos:
Ah! sinite ista meum ut gutta fragrantis olivae
Et nardi unguento corpus humare queat;
Sanctum opus, et vestrum quisnam succenseat aegrae?
Fama pium hoc facinus tempus in omne feret.
Sic ille. Ad tumulum tacita dum nocte sodales,
Longum plorantes, debita persoluunt,
Spiritus, innumeris caeli de gente ministris
Stipatus, victor tartara nigra petit.
Effractis foribus vastae intremuere cavernae,
Paret ubi, et tenebris et loca senta situ
Collucent subito flammis rutilantibus: horret
Adventu, atque alto dira pavore domus
Miscetur, confusa ruit, latebrisque sub atris
Abditur, obscenis impia turba fremit
Vocibus, invisam faciem ut videre per umbram,
Atque erebi princeps rapta tropaea gemit.
Hinc castos lustrat manes sedesque piorum,
Tempore iam longo qui prece sollicitant
Servatorem hominum, votisque urgentibus optant
Felices summo sidere posse frui.

Excipiunt venientem et laeta voce salutant
    Optatum, vates quem cecinere sacri,
Et sancti heroes, patrum veneranda propago,
    Mortui in ultoris spemque fidemque Dei.
Nec sit fas Christi longaeva in tempora corpus
    Exiguo in terris delituisse specu.
Terno sole latet Ionas praenuncius orca (1):
    Ulterius Iesum nec cava saxa tegant.
Incassum lapidem obsignant et milite cingunt:
    Calliditas Christo numquid obesse potest?
Ac veluti pastor, somno si forte quierit
    Stratus humi, quercus qua vetus umbra cadit,
Vix experrectus molli consurgit arena,
    Illapsum fronti discutit et folium;
Haud aliter ter ubi felix aurora rubescet,
    Morte triumphata, deseret ille specum.
Ergo pone modum lacrimis, compesce querelas,
    Magdala: quid moeres, o Petre, quidve tremis?
En immortalem datur aspectare Magistrum
    Et dulci obtutu colloquiisque frui.
Saepius ipse suis astabit cominus, almam
    Et pacem trepidis et bona verba feret.
Interea vacuo sedeat veneranda sepulcro
    Religio, et memori servet honore locum,
Ore gravi rutilans; calicem sed dextera monstret
    Fumantem dio sanguine, laeva Crucem.
Et super imponat magnum molimine templum,
    Muneraque et sanctis det pia tura focis.
En hospes peragrans, ut saxis oscula libet,
    Advenit, et longas non piget ire vias:
Et si dirus Arabs Solyma potietur, et armis
    Vastator fines proruet in syrios;

Hostis sacratum turpis ne polluat antrum,
Unde Deus, victa morte, tropaea tulit;
En Europa, suis eversa e sedibus omnis,
Innumeras acies et fera bella parat.
Christicolae reges, cur iunctis viribus una
Cessatis Turcis bella movere feris?
Nulla ne vos tanti tumuli reverentia tangit?
An non vestrum est quod barbarus hostis habet?
Colligite arma, duces: vapor, adiice classibus alas,
Pellatur sacro litore turpis Arabs.
Sed quidnam exiguis, Elegeia, versibus audes?
Haec maius plectrum grandia facta decent.

AN. MDCCCLXVII

(1) Matth. XII, 39.

VARIA

DAVIDIS CERTAMEN CVM GOLIA

Quum rex immanem Terebinthi in valle Goliam
Praelia poscentem, nec contra assurgere quemquam
Vidit, at ingenti captas formidine collem
Belligeras servare manus et castra fovere,
Luce quaterdena quamquam sol duceret orbem;
Magnanime infremuit, laudisque incensus amore
Ipse hostem petere, ipse manum conferre parabat.
Quum Puer isacides compellat vocibus ultro:
Quo ruis, anne unum pugnae in discrimine regem
Fortia nequidquam iuvenum tot robora cernent?
Haud equidem: ipse adeam, non vi, sed numine fretus.
Numine fretus ego nostris in montibus ursum
Hac obtruncavi dextra, timidasque capellas
Faucibus eripui saevoque e dente leonis;
Multa fremit quassansque iubas petit ore cruento;
Nil veritus, firmis obstringo guttura palmis,
Et cadit ille: feris monstrum hoc num fortius ipsis?
Dixerat, et manibus Puerum complexus utrisque
Ora Saul fletu irrorat, dein lumina caelo
Attollens, o quas effudit pectore voces:
Omnipotens, generis Iacob cui maxima cura est,
Scilicet hoc nullae poterunt vicisse phalanges,
Quum tales animi, quum talia pectora crescant:
Auguror auspiciis succedent prospera tantis,
Visque Philistaei tenues vanescet in auras.

Interea pugnae tolluntur signa, tubaeque
Horribili clangore canunt, stant ordine longo
Montibus hinc iudaeae acies atque inde Philistim,
Ponentes hastas clypeosque, et culmina complent,
Et medium longo protenditur aequore vallis.
Una omnes iuvenesque ruunt matresque senesque:
Dum cupidis spectant oculis, Puer emicat ardens
Isacides, nec tela gerit, sed pastor inermis
Et baculo et funda campo se monstrat aperto;
Fert pera nitidos quinque e torrente lapillos.
Apparet secus adversa sed parte Golias;
Aerea namque olli cassis, pectusque rigentes
Loricae squamis immani pondere cingunt;
Crura tegunt ocreae, clypeus laevamque coruscus,
Immanisque regit ferrata hastilia dextra.
Obstupuere animi visu; et capita alta Golias
Irridens quassat, dictis atque infit acerbis:
Quo quo, rufe puer? quae mentem insania vexat?
Numquid ego canis? obtestor mea numina, caelum
Obtestor, certo properas occumbere leto,
Pascendumque feris iaciam miserabile corpus.
At contra levat ille oculos ac talia fatur:
Tu venis hastili peltaque instructus et ense,
Ipse Deo fidens uni; Deus agmina Iudae,
Quae miser exprobras, tutatur, iamque superbum
Obtruncat, iacet et terris informe cadaver;
Namque Deus nec eget gladio, nec fortibus armis.
Dixit, et abductas in gyrum raptat habenas
Stridentis fundae; lapis exturbatus in auras
Evolat adversi media inter tempora praeceps;
Advenit, effractoque illidit in ossa cerebro.
Ille tremens multa exanimis procumbit arena:

Ingemuit lapsu tellus sonitumque repente
Anfractus vallesque cavae montesque dedere:
Incubuit victor, caput ipsius abscidit ense.
Tum subito hostiles acies circumstetit horror,
Ut primum spirantem animam videre Goliam:
Tum gelido trepidare metu, tum vertere terga
Et miscere gravi perterrita castra tumultu.
Parte alia laetis implent clamoribus aethram
Isacidae, atque io resonant ioque, triumphe.
Hinc studiis effusi omnes immania membra
Mirantur, nequeuntque expleri lumina visu:
Horrendum spirant oculi suffusaque tabo
Tempora et immenso concreti sanguine crines:
Hic clypeus squamis horrens, immanis et hasta,
Stant illic galeaeque graves cristaeque comantes.
At Iuvenis multo comitatus milite victor
Ingreditur Solymas: palmis puerique puellaeque
Occurrunt, choreis laetum paeana canentes.
Ille Deo solvit votum, suspendit et arae
Arma viri, belli Omnipotens, tibi rite tropaeum.

AN. MDCCCXXIII

AD DOMINICVM PATREM
DE BASILICA OSTIENSI INCENDIO VASTATA

Care Pater, facilis primum iuvenilibus ausis
Annue, dum mersas alta caligine causas,
Horrida quae Pauli peperere incendia templo,
Pandimus, atque tuis parent pia carmina iussis.
Haec tibi sint teneri monumentum et pignus amoris:
Forsitan interea, faveat si dexter Apollo,
Laudes ipse tuas dicam medicosque labores,
Et quas gnavus opes aegris mortalibus affers.
Templum erat, Ausoniae decus et fama inclyta Romae,
Augustum, sublime, ingens, quod sancta vetustas
Constituit, Pauloque altaria rite dicavit.
Huc captus pietate loci peregrinus ab oris
Longinquis properare hospes, promissaque Divo
Serta dare ac precibus solemnia solvere vota.
Huc etiam cupidi, et quos dividit alta Pyrene,
Istrum quique bibunt et amantes mira Britanni,
Visere surgentes immani mole columnas
Ordinibus longis et silvae more frequentes,
Ac super impositum mira compage lacunar
Antiquasque cedros et pictis signa lapillis,
Illita parietibus, postesque ex aere rigentes
Atriaque ingentesque aras adytusque verendos.
Viderat haec, celeri perlustrans omnia lapsu,
Tempus edax, avidoque movens in pectore cladem,

Irruerat (non ipsa Dei praesentia tantum
Avertit scelus aut pietas longaeva parentum),
Et molem duro tentarat perdere ferro.
At veluti rapidis exercita flatibus austri
Ulmus opaca comas vix huc deflectit et illuc
Ardua, defixisque solo radicibus haeret:
Sic steterat nullis concussa laboribus aedes.
Tum super haec tumidis exarsit cordibus ille,
Ter quassat caput infrendens et ter pede terram
Percutit: hinc tristes acuit sermonibus iras:
Vincar ego coeptisque igitur frustratus abibo?
Et videam fragili congestum stipite culmen
Praeruptisque horrens saxis attollere caelo
Securum caput atque aeternum vivere terris?
Vincar ego, monumenta potens aequare ruinis,
Pyramidasque altas et propugnacula summis
Addita verticibus turresque et maxima divum
Delubra et multis florentes gentibus urbes?
Non ita: si duro triplex adamante rigeret
Haec domus, et rabidi flammis torrentibus amnes
Servarent saevaeque immania monstra chimaerae:
Non haec effugiet nulli superabile fatum.
Si mihi nec vires assuetaque caedibus arma
Sint satis, haud animis odia exaturata quiescent:
Nil intentatum linquam, implorare quod usquam est
Nec dubitem; subeat ferro violentior ignis.
Invidus ista senex furiata mente volutans,
Extemplo falcem iacit indignatus inanem,
Flammantes rapit inde faces nitrumque picemque,
Sulphure tartareo lentoque bitumine miscet,
Incensosque globos summa ad fastigia iactat.
Nox erat, et Romam tenuere silentia late:

Nulli quadrupedum strepitus et nulla hominum vox:
Perque domos passim cives perque arva coloni
Securi dulci laxarant membra quiete.
Ipse pater Tibris, muscoso conditus antro,
Per noctem tacito volvebat flumina cursu,
Nescio quid queruli resonans: sub pectore cura
Haeret, et incerti trepidat mens praescia damni.
Ecce autem nigra exundans caligine nubes
Tollitur et spissae volitant per inane favillae;
Fit fragor, erumpunt alto de culmine flammae,
Tibridis et ripae circum campique relucent.
Tum pater assurgit flavis exterritus undis
Aspiciens sacris bacchantem in sedibus ignem:
Omnia percepit, iam plenis cornibus illuc
Impulerat miseratus aquas: sed fata resistunt
Ferrea et invito subsidunt aequore fluctus.
Mox altum emittit gemitum, cui litora longe
Nec non e septem responsat collibus echo
Ingeminans: vitreis excitae protinus antris
Naiades pavida regem cinxere corona.
Nec minus excussi cives clamore propinquo
Corpora corripiunt stratis: pars pulpita complet
Et viros plateasque urbis densasque fenestras;
Pars oculis inhians tectum petit, unde videri
Terrarum tractus queat et spatia ardua caeli.
Tunc procul apparet templum, miserabile visu!
Fervet ubi vulcanus edax, incendia lucem
Dant claram, nebulis et circumvolvitur aer:
Sic horrenda cavis ardet fornacibus Aetna,
Dum fundo eructat scopulos ignitaque saxa,
Ac tonitru succussa gravi Trinacria pallet.
Evasere omnes domibus, tectisque relictis

Iam dicto citius portis bipatentibus una
Romulidas ruere aspiceres vigilumque cohortes.
Non aliter fluviis montanisque imbribus auctus,
Aggeribus ruptis, spumanti gurgite torrens
Et sata laeta boum pingues populatur et agros.
Et iam succedunt templo mediosque per ignes
Insiliunt iuvenes, solidi quibus integer aevi
It sanguis, durosque iuvat perferre labores
Et casus tentare; nec in discrimine tanto
Corda quatit trepidans pavor et via plurima leti.
Nituntur scalis alii, perque ardua fontes
Iniiciunt, Tibris pleno quos sufficit alveo;
Signa alii et tabulas (templi quando ultima cernunt)
Vorticibus flammae eripiunt multumque gementes
Sede locant tuta. Collapsis undique tectis
Consedit cedrus in cineres, cecidere columnae
Immanes, tenues rapitur labor omnis in auras,
Et nullum auxilium nec spes datur amplius ulla;
Haec inter Tempus vivaces excitat ignes
Insultans. Ecquid vano bacchare triumpho?
Namque ipsis maiora attollet templa ruinis
Maximus ille Leo, a superis cui credita cura est
Sceptra vicesque Dei gerere, et quo praeside summo
Aurea felici labuntur saecula mundo.

AN. MDCCCXXIII

DE B. MARIA VIRGINE SIDERIBVS RECEPTA

Ergo quae magni Sobolem Patris edidit alvo
Iessaeas inter caelo gratissima matres,
Illa et corporeo mortali lege resolvi
Debuit, et, fragili terris compage relicta,
Nacta aerumnoso generi commune sepulcrum?
Attamen antiqui nequidquam infesta parentis
Nascenti obfuerat labes, quo crimine ab illo
Excidit infelix genus, et mors praemia culpae.
Quid te igitur, Virgo? te amisimus, o bona Mater,
Una malis requies, vitae spes unica nostrae!
Et syrtes inter scopulosque furentibus undis
Heu subito quanto viduatos lumine linquis!
At non haec quondam dum multa horrenda moneret
Ad templum cecinit senior tibi talia vates:
Scilicet exanimem crudeli e stipite Natum
Vidisti eheu! et saevis discerpta flagellis
Ora cruentatumque caput traiectaque ferro
Pectora, et e tantis superas erepta procellis,
Extremum ah nobis tandem accessura dolorem!
Haec longum flentes diae ad monumenta Parentis
Christiadae moesto diffundunt pectore verba:
Et noctu pia turba diuque immobilis haeret
Ad tumulum, variatque vices et marmora servat.
Aligeri interea longum modulamen alumni
Alternis faciunt numeris, hinc dulcis amaror
Pertentat, paulatim animos et pectora mulcet.

Ast aequaeva Patri Soboles, haud passa sepulcro est
Virgineum squalere situ et putrescere corpus.
Tertia iamque dies terris illuxerat, ex quo
Corpora condiderant lacrimis, quum magna repente
Succutitur late tellus, laevum intonat aether
Effulgens, subitusque pavor mortalia sternit
Corpora, praesentisque Dei vox excidit alto:
Surge, o quae placido decumbis fusa sopore,
Dulcis Amica, veni; fugit iam turbidus imber,
Horrida fugit hiems, omnis tibi panditur aula
Caelicolum, hic alto divorum effulgere coetu
Assuesces regina tuumque agnoscere regnum.
Dixerat ille: polo nubes funduntur aperto
Candentes, chorus Aligerum demittitur omnis.
Qualis nocturno languens sub frigore, postquam
Prata madent, flos purpureis pubescit in hortis;
Haud aliter dulcem depellit lumine somnum
Tollitur et tumulo Virgo, quam pulcra videri!
Quis tamen evectae ad superos miracula Matris
Et poterit summum verbis aequare triumphum?
Haud humana valet tantum vox dicere, tantum
Vidit nulla acies: it sole induta corusco
Sub pedibusque premit lunam, duodenaque sertum
Sidera dant rutilum capiti: tamen illa modesto
Ore nitens, oculis inhiantibus aspicit altum,
Corpore flagrat amor toto, segnisque videtur
Ipsa sibi, Iesu donec potiatur amato.
Qua subit, effugiunt nebulae campique renident
Aetherei late, tepidisque favonius auris,
Lilia suavis olens, venientem leniter afflat.
Fulgenti insignes palla circumque supraque
Penniferi volitant iuvenes candentibus alis;
Ille rosam fert, hic ramum vivacis olivae,

Alter et e Libano cedrum palmamque virentem,
Alter et avulsam sacro de monte cupressum,
Flumineamque alii platanum, gestatur aroma
Et casia et pingui stillans ex arbore gutta.
Emicat ante omnes, spoliis spectandus avernis,
Victricesque regens, Michael, in bella cohortes:
At non ut quondam gladio metuendus et ira
Cum ultor in arma ruens monstrum exturbavit ab astris,
Sed mitis placidoque ostentans gaudia vultu.
Nuncius hinc Gabriel, qui iam mandata Puellae
Prima tulit, tales demum et praedixit honores,
Ingenti ventos alarum remige tranat.
Sic Virgo, lituis caelum comitata tubisque,
It via stelliferum qua lactea ducit ad axem.
Utque domos tetigit victrix et regna piorum,
Reginam una omnes superi gratantur ovantem.
At Pater omnipotens Natusque et Spiritus almus
Obvius intactam caelesti in limine Divam
Excipit, et merito cingit diademate frontem,
Aeternum decus. Illa altum penetrale Tonantis
Ingreditur solioque sedet Regina corusco.
Interea tantum stupuit mirata triumphum
Christiadum pia turba, ac palmas sustulit ardens,
O quae hominum superumque incedis maxima, dixit,
Si te caelicolas inter mortalia tangunt,
Aspice nos, fer opem miseris et numine serva,
Namque potes: curas et dura incommoda vitae
Heu quot iam tulimus terris, heu quanta feremus!
Ecce lupos inter saevos immittimur agni;
Sed nil desperandum, te duce et auspice, Virgo.
Felices nimium, quibus hac compage solutis
Matre frui Natoque datum caeloque potiri!

AN. MDCCCXXIV

DE SANCTIS MARTYRIBVS SEBASTENIS

Magnanimi Heroes, Christi qui signa secuti
Invictam tenuere fidem, clarumque Sebaste [1]
Sanguinis auspicio peperere in saecula nomen,
Aesiadae nunc iam dicantur carmine Musae [2].
Spiritus alme, tuo si quando munere virtus
Aegris tanta sedet mortalibus, annue vati,
Dum canit ingentes ausus et fortia facta,
Christiadas inter longum memoranda per aevum.
Tempore, quo Licinus romani sceptra tenebat
Imperii [3], legio studiis acerrima belli
(Fulmineae huic nomen) florentes occupat urbes
Armeniae, Christumque colit, delubraque divum
Spernit et infandis nunquam se polluit aris.
Quid posset pietate olim sensere Quirites,
Aeneum ubi caelum sitientibus abnegat undam:
Illa preces Christo fundit, micat ilicet aer,
Effusique ruunt tumidis e nubibus imbres.
Romuleae portenta Dei novere cohortes,
Novit ovans dux ipse, optato et flumine gaudet:
Nunc etiam haec memorant Aureli gesta columnae [4].
Talia, sed Licinus, quamquam miracula rerum
Eniteant, benefacti oblitus saeva minatur
Militibus, si tura diis adolere recusent,
Heu mens caeca! Virum manus indignata profanos
Horrescit ritus atque impia iussa repellit.

Vix haec Agricolaus habet, qui munere terris
Fungitur armeniis supremi praesidis, agmen
Advocat, atque quater denos sic lenibus infit:
Egregii o iuvenes, romanae robora pubis,
Fulmineae legionis honos bellique potentes:
Nam quis vos agitat, quis iam fortissima versat
Pectora in adversum? deus an sua cuique voluntas?
Qui regit imperium dis immortalibus urget
Vota referre sacrisque aris imponere dona:
Ergo Iovi summo plenae fundantur acerrae,
Servet ut incolumem Licinum, tueatur et arma
Romulidum, nostris et finibus arceat hostes.
Haec praeses: contra Cyrion [5] sic instituit ore:
Principis imperii nos iussa capessere fas est.
Si iubet adversas telis agitare catervas,
Audacter ruimus, vitae nec cura moratur,
Nec mortem fugimus, fugimus sed vota deorum.
Namque Deum coluisse datum est mortalibus unum,
Qui rerum Sator omnipotens effulgere solem
Ex nihilo et lunam et caelestia sidera iussit,
Qui mare, qui terras, qui complet numine caelum,
Qui genus infelix aequaevi sanguine Gnati
Abluit et veteris reparat contagia culpae;
Hunc unum colimus, tura huic incendimus uni.
Vidistis nuper monstrum, quum splendida caelo
Affulsit Crux alma stupentibus, armaque raptim
Vidistis magno ad Tiberim fugientia signo,
Et frustra tanta frendentem caede tyrannum
Vorticibus rapidis absumptum et fluctibus amnis [6].
Hinc pax Christiadis, sublata hinc fana, Deoque
Uni solemnes ritus et turis honores.
Heu Licinus miser! indignati fulgura Christi

Iam capiti impendent, rapiunt iam sceptra, sub umbras
Iam trudunt; Deus ipse tibi nam digna rependit [7].
Agricolaus ad haec furiis ingentibus actus
Imperat obstringi vinclis et carcere diro
Cappadoces [8], saxis quin imo frangier ora
Et tundi dentes. It largo flumine sanguis
Innocuus, nec vox, nec questus fertur ad auras.
Ast addens animos Cyrion ait: Una catervas
Mens fuit hostiles inter, sic vicimus; una
Mens modo sit, fortes gerimus dum praelia Christi,
O comites; vincemus enim: Deus insidet alta
Virtute et firmat vires. Post talia fatus,
Davidis ipse praeit numeris aliique sequuntur.
Fulmineum interea Lycias qui temperat agmen,
Advenit alloquiturque viros, nunc ferrea mulcet
Pectora blanditiis, nunc verbis instat acerbis
Incassum; nil corda movet, nil mente tenaci
Heroas quatit invictos; sic ardua Calpe
Despicit iratos fluctus et mole sua stat.
Haud procul urbe lacus stagnanti gurgite torpet;
Bruma viget, furit et boreas algentibus alis;
Constitit unda rigens, duroque simillima saxo
Sustinet et grandes, immania pondera, currus.
Cappadoces nudos iubet hic hiemare tyrannus
In noctem: iuvenes abiectis vestibus ipsi
Festinant subiisse ferum certamen ovantes:
Tormenti genus horrendum; calor effugit, artus
Acris hiems trepidos puncturis figit acutis,
Contrahit et nervos, livor suffunditur ater,
Turgescit pellis, caecas uritque medullas;
Proh dolor immanis! totis dein frigore sanguis
Corripitur venis et corpora disrumpuntur.

Attamen haud lacrimae, haud gemitus: vox una precantum
Auditur: Pater omnipotens, certamina laeti
Quot tua perferimus, totidem da vincere palmam,
Nam sacer hic numerus; deserto litore postquam
Effugiens hominum Christus consortia, solus
Longa quater denas durat ieiunia luces:
Affer opem, ne nos tempestas mergat aquarum.
Illi hos ingeminant alternis vocibus hymnos.
Interea, dum sic gelidis torquentur in undis,
Irruit ingentique irarum concitus aestu
(Nam modicum iam tempus habet) vimque exerit omnem
Crudelis Satan, ut fortia pectora frangat.
Ipse lacus specie colubri folia inter et algas
Occulitur tacitus; stricto sed protinus ense
Aliger occurrit iuvenis, cui grata tuendi
Cura est athletas Christi, immanemque repellit:
Sibilat ille ferox, atrum vomit ore venenum
Horrendumque furit, turpique volumine caudam
Praepes agit, plantis seseque palustribus abdit.
Nox erat, et vino madidi fractique labore
Custodes somno indulgent: sed ianitor unus
Excubat Angias; insuetus pectora fervor
Exagitat, segni nec fas dare membra quieti.
Tunc olli monstrum obiicitur: panduntur olympi
Actutum portae: late lux alma coruscat,
Nube rubescenti, nocturnasque effugat umbras.
Ecce novem et terdeni altis e sedibus adsunt
Pennati iuvenes vultuque et veste decori,
Serta ferunt totidem gemmis distincta: smaragdi
Effulgent onychesque et flammeus igne pyropus,
Chrysolithus, stellaeque adamas candore coruscans,
Berylli virides cum purpureis amethystis.

Hoc stupet Angias visu, tacitusque volutat
Haec sibi mente: Quater deni nunc praelia Christi
Decertant, cur nam sertum sed deficit unum?
Haec inter quidam, vires animique ferendae
Cui desunt hiemi, tepefactis insilit undis.
Heu miser! extemplo solvuntur corpora leto!
Abiicit arreptam meritis et dextera palmam.
Ingemuere viri, lacrimis et Numen obortis
Orantes sensere lacus, sensere supernis
Arcibus Aligeri: tamen haud pia vota precesque
Heroum cecidere. Mero somnoque iacentes
Excitat Angias socios atque exuit artus,
Ipse egomet, clamans, Christum colo: iuribus isdem
Ipse utor sacris et inania numina temno.
Dixit, et invictae properat se iungere turmae.
Mysticus impletur numerus, pro munere grates
Persoluere Deo geminantes carmine voces.
Ut primum Christi novit quoque sacra colentem
Angiam, fera turba irarum incenditur igne
Suppliciumque novum molitur: crura bacillis
Algida confringit: repetitis ictibus omnis
Vita fugit: caeli reserantur regna beatis,
Claraque victrices cingunt diademata frontes.
Iunior at Melithon, validae cui corpore vires,
Spirat adhuc, quamquam riguerunt frigore membra.
Ergo ubi coniiciunt miseranda cadavera plaustris
Accelerantque rogum, viventem ad stagna relinquunt;
Spes subit illecebris iuvenilia pectora vinci.
At pueri mater cursu festinat anhelo,
Supponitque humeros et dulcia pignora tollit
Et sacro insequitur stridentes pondere currus.
Macte animo, mi nate, inquit fortissima, caelum

Aspice, iam Christus felicia limina pandit,
Iam vocat, aeterno vincit iam tempora serto:
Fortunate, tuae nunquam obliviscere matris!
Haec ait, et caro capiti centum oscula, centum
Figit amans. Matri Melithon subridet et auras
Deserit, at niveo superum decus ore refulget;
Illa et funereo deponit corpora plaustro.
Magnanima o Mulier, quisnam tua dicere facta
Carminibus poterit, dignas quis promere laudes?
Fortia tu memoras Machabaeae gesta parentis,
Quae septem natos uno sub lumine vidit
Exanimes, patrias leges ne iuraque frangant.
Nec fletu maduere genae, mentemque virilem
Nil quatit, imo animos verbis et suasibus addit.
Magnanima o Mulier, Petri firmissima sedes
Donec erit, toto donec celebrabitur orbe
Religio et pietas et casti pectoris ardor,
Diceris, magnumque tibi per saecula nomen.
    Interea struxere pyram, sacra corpora flammis
Protinus uruntur: sed quid non impia cogit
Corda furor, diris quae Satan ignibus urget?
Namque ardens odiis cineres dispergere in amnem
Carnifices stimulat, nulli ut reddantur honores.
    Vix sacri cineres volvi coepere secundo
Flumine, lux clara effulget sequiturque natantes;
Nam puer aetherius, caelo cui credita cura est
Agminis invicti, fluitantes colligit una
Reliquias pius, atque arenti margine servat.
Haec Petrus (9), sacer Antistes, dum facta geruntur,
In somnis obiecta videt: mora nulla, ministris
Cinctus adest, et mille faces circum undique lucem
Dant claram, laetis et cantibus insonat aether.

Nil scelus horrendum prodest, oblivio nulla
Cappadoces capiet cives, serique nepotes
Proiectis genibus recolent, arasque sacrabunt,
Imperiique potens urbs sancta amplectier ossa
Gestiet atque ausu regali ponere templa [10].
Brixia sed felix! rediens nam litore eoo
Heroum exuvias Pastor Gaudentius infert,
Attollitque aedem, meritis et laudibus ornat [11].
At vos, felices animae, si corpora terris
Ponentes italis nos hoc cumulatis honore,
Aspicite heu! miseros, tristis quos vexat erinnys
Post lustra exacuitque iras civiliaque arma:
Incolumem rebus patriam servate secundis,
Incolumem servate Pium; post nubila tandem
Ridenti niteat nobis lux aurea vultu.

AN. MDCCCLXVIII

(1) Acta Sanctorum mensis martii a Io. Bollando etc.

(2) Auctor moratur Aesii in Piceno.

(3) Imperator Licinius - Martyrium XL Heroum contigit Sebaste anno christiano CCCXVI.

(4) Nunc etiam ita in anaglyptis columnae Marci Antonini, quae est Romae.

(5) Vide nomina Ss. XL Martyrum apud Bolland. ad diem X mensis martii. Graeci Patres, ut S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Ephrem eos magnis laudibus extulerunt.

(6) Victoria Constantini Magni de Maxentio reportata anno christiano CCCXII.

(7) Constantinus vicit Licinium anno CCCXXIII.

(8) Sancti Martyres erant ex Cappadocia.

(9) Tunc temporis sacer Antistes Sebastenorum.

(10) Pulcheria Augusta reliquias Ss. XL Martyrum Constantinopoli invenit, et basilicam extruxit. Ex Sozomeno Lib. IX Hist. Eccles. Cap. II.

(11) S. Gaudentius brixiensis Episcopus Solymas contendens, Caesareae quoque sanctimoniales quasdam invisit, quas inter S. Basilii Magni neptes erant. Hic aliquas Ss. XL Martyrum reliquias dono accepit, et Brixiam colendas intulit et ad populum concionem, quae etiam nunc legitur, habuit. Bolland. ad diem X martii cap. III § 3.

Elegia II

AD RAIMVNDVM MARCHETTVM

OTIA RVSTICA

Te, Raimunde, tenent nemorosa cacumina, quaeque
Pinguia tam felix rura Sabinus arat.
Hic tibi sunt primi, carissima turba, sodales,
Et quae te puerum tecta aluere sinu;
Hic virides passim saltus et mollia prata,
Antraque, muscosae Naiadum latebrae;
Leniter hic cultos percurrit rivulus agros,
Et fontes duro prosiliunt lapide:
Et caput attollunt acera alta, umbrosaque fagus
Dulce viatori porrigit hospitium.
Hic modo venatu lepores per lustra fatigas
Aut pingues celeri figis aves calamo;
Ac modo secreto lentus considis in antro
Et fessa in molli gramine membra levas.
Nunc quid nugarum tenui meditaris avena,
Et tibi silvestris carmine musa canit;
Perlegis atque tui numerosa volumina Flacci,
Suaviter urbanis totus in illecebris,
Arva Venosino quondam iucunda poetae
Aspiciens, doctum sueta referre melos.
Ast ego perpetuum magna versarier Urbe
Cogor et Astraeae non leve ferre iugum.

Oh! felix Raimunde, procul quod moenibus altis
Vitam agitas cara rusticus in patria!
Quam mallem, strepitus et tecta tumentia fastu
Effugiens, tecum rura beata sequi.
Nam qui caecus opes et pondera divitis auri
Expetit atque avido pascit amore animum,
Ille graves hominum discat defendere lites
Garrulaque incerti dicere iura fori.
Non hoc ingenium nobis, sed paupere cultu
Est satis agrestes incoluisse casas.
Quis me, quis tecum felices tollat in hortos
Aurea queis etiam saecula prima fluunt?
Non odia hic rabidusque furor fraudesque dolique,
Non primis inhians sedibus ambitio;
Sed pietas, sed pacis amor, sed sola voluptas
Vivere securos et sine nube dies.
Proximus hic latices sitienti sufficit amnis,
Instruit hic parcas rustica mensa dapes.
Quam dulce interea strata consurgere fronde
Mane novo et summi culmen adire iugi,
Unde rubescenti surgentem cernere ab ortu
Auroram et pulcro nubila sparsa croco;
Et passim captare leves in saltibus auras,
Quae solem blandis flatibus antevolant;
Et rupes circumspicere et stabula alta ferarum
Prataque et effusum laeta per arva pecus,
Et procul in viridi fugientes gramine damas,
Dum subeunt celeres ore inhiante canes.
Bacche pater, Silvane senex, Faunique bicornes
Et quotquot nemorum iuvit amica quies,
Sic mihi, sic liceat tuto traducere vitam,
Donec mors summum nuntiet atra diem:

Ecloga I

IN PARENTALIBVS ACT. SYNCERI SANNAZARII

MELANTHIVS - LYCON - CELADON

Mel. Extrema dum nocte, Lycon, per nota vagarer
Litora, proiiciens incautis piscibus hamum,
Mirabar tantum streperet quid mergus et inter
Antra fulix tacitas quereretur sola per umbras,
Quamquam pacatum staret mare, lunaque caelo
Clara micans tremula diffunderet aequora luce.
Lyc. Ipse etiam obstupui celeri piscosa phaselo
Saxa legens, quod nec quaerentem pabula Mopsum,
Nec Lycidam vidi rimantem caerula nassis:
Tristia quin late tenuere silentia ripas.
Mel. Nescio quae nobis insueti causa doloris
Ingruit: et scopulis infracta et rupibus altis
Flebilis unda gemit; flet proxima Mergelline,
Squalet et insolito vicina Megaria luctu.
Lyc. Ad nos, cerne, gradum properat Celadon, gravis annis;
Forsitan ille novi dicet primordia fletus.
Mel. Ut venit heu moestus! defixo lumina vultu
Lassa tument lacrimis: trepidat praesaga mali mens;
Dic nobis, Celadon, qui vexat pectora moeror?
Cel. Et potuit vestro divini funus Amyntae
Effluxisse animo, nec vulnus corde sub imo
Aeternum manet, ah! saevum, immedicabile vulnus?

Ecloga I

IN PARENTALIBVS ACT. SYNCERI SANNAZARII

MELANTHIVS - LYCON - CELADON

Mel. Extrema dum nocte, Lycon, per nota vagarer
Litora, proiiciens incautis piscibus hamum,
Mirabar tantum streperet quid mergus et inter
Antra fulix tacitas quereretur sola per umbras,
Quamquam pacatum staret mare, lunaque caelo
Clara micans tremula diffunderet aequora luce.
Lyc. Ipse etiam obstupui celeri piscosa phaselo
Saxa legens, quod nec quaerentem pabula Mopsum,
Nec Lycidam vidi rimantem caerula nassis:
Tristia quin late tenuere silentia ripas.
Mel. Nescio quae nobis insueti causa doloris
Ingruit: et scopulis infracta et rupibus altis
Flebilis unda gemit; flet proxima Mergelline,
Squalet et insolito vicina Megaria luctu.
Lyc. Ad nos, cerne, gradum properat Celadon, gravis annis;
Forsitan ille novi dicet primordia fletus.
Mel. Ut venit heu moestus! defixo lumina vultu
Lassa tument lacrimis: trepidat praesaga mali mens;
Dic nobis, Celadon, qui vexat pectora moeror?
Cel. Et potuit vestro divini funus Amyntae
Effluxisse animo, nec vulnus corde sub imo
Aeternum manet, ah! saevum, immedicabile vulnus?

Ecloga I

IN PARENTALIBVS ACT. SYNCERI SANNAZARII

MELANTHIVS - LYCON - CELADON

Mel. Extrema dum nocte, Lycon, per nota vagarer
Litora, proiiciens incautis piscibus hamum,
Mirabar tantum streperet quid mergus et inter
Antra fulix tacitas quereretur sola per umbras,
Quamquam pacatum staret mare, lunaque caelo
Clara micans tremula diffunderet aequora luce.
Lyc. Ipse etiam obstupui celeri piscosa phaselo
Saxa legens, quod nec quaerentem pabula Mopsum,
Nec Lycidam vidi rimantem caerula nassis:
Tristia quin late tenuere silentia ripas.
Mel. Nescio quae nobis insueti causa doloris
Ingruit: et scopulis infracta et rupibus altis
Flebilis unda gemit; flet proxima Mergelline,
Squalet et insolito vicina Megaria luctu.
Lyc. Ad nos, cerne, gradum properat Celadon, gravis annis;
Forsitan ille novi dicet primordia fletus.
Mel. Ut venit heu moestus! defixo lumina vultu
Lassa tument lacrimis: trepidat praesaga mali mens;
Dic nobis, Celadon, qui vexat pectora moeror?
Cel. Et potuit vestro divini funus Amyntae
Effluxisse animo, nec vulnus corde sub imo
Aeternum manet, ah! saevum, immedicabile vulnus?

Adsitis veteri coniuncti more sodales,
Et vos languentes claudite, vos, oculos.
Nec vacuum caris deducite corpus agellis,
Ossaque sub viridi lassa cubent platano:
Et tumulo carmen facite: Hic est conditus Aegon,
Otia quem ruris, quem tenuere greges.
Praeteriens hic forte, legit dum nomina, pastor,
Suspirans dicat: Sit tibi terra levis.

AN. MDCCCXXII

Ecloga I

IN PARENTALIBVS ACT. SYNCERI SANNAZARII

MELANTHIVS - LYCON - CELADON

Mel. Extrema dum nocte, Lycon, per nota vagarer
Litora, proiiciens incautis piscibus hamum,
Mirabar tantum streperet quid mergus et inter
Antra fulix tacitas quereretur sola per umbras,
Quamquam pacatum staret mare, lunaque caelo
Clara micans tremula diffunderet aequora luce.
Lyc. Ipse etiam obstupui celeri piscosa phaselo
Saxa legens, quod nec quaerentem pabula Mopsum,
Nec Lycidam vidi rimantem caerula nassis:
Tristia quin late tenuere silentia ripas.
Mel. Nescio quae nobis insueti causa doloris
Ingruit: et scopulis infracta et rupibus altis
Flebilis unda gemit; flet proxima Mergelline,
Squalet et insolito vicina Megaria luctu.
Lyc. Ad nos, cerne, gradum properat Celadon, gravis annis;
Forsitan ille novi dicet primordia fletus.
Mel. Ut venit heu moestus! defixo lumina vultu
Lassa tument lacrimis: trepidat praesaga mali mens;
Dic nobis, Celadon, qui vexat pectora moeror?
Cel. Et potuit vestro divini funus Amyntae
Effluxisse animo, nec vulnus corde sub imo
Aeternum manet, ah! saevum, immedicabile vulnus?

Mel. Heu! nobis infanda dies qua reddimus illi
Inferias tumuli meritosque dicamus honores!
Hoc erat ut querulis compleret vocibus actam
Halcyone, gemeret turbato et gurgite pontus.
Indoluere omnes, nec condita mente tenebam
Fata viri, fuerat quo non iucundior alter,
Quot navi ausonium perlustrant retibus aequor.
Cel. At nos Pausilypum praestat modo visere, myrto
Praecinctos crines et funereis cyparissis.
Iamdudum comites huc affluxere propinqui;
Vos calamos inflare boni et contendere cantu
Dicetis: memini, starent dum robore vires,
Cantando ad cineres tristem me condere soles:
At modo confectum senio vox aegra reliquit.
Ergo agite: en vobis defixa coralia trunco
Ostreaque et plures saxosae rupis echini,
Quin siccum strata pellucet litus arena
Et zephyrus placidis aspirat leniter undis.
Lyc. Grata iubes, Celadon, tumulum iam venimus altum;
Dicamus: socii longo stant ordine circum.
Mel. Maximus ut superis cessit piscator ab oris,
Nereides flevere, et vos, maris aequora, testor,
Quum lacrimis perfusa genas, effusa capillos
Clamabat Phyllis, miserum complexa cadaver,
Crudeles terras, crudelia sidera, et ipsam
Crudelem, cari quod vidit fata mariti.
Tunc neque per scopulos et saxa madentia Proteus
Immanes egit phocas horrendaque cete:
Nec Glauci Phorcique chorus spumantia rupit
Marmora, nec conchis emisit murmura Triton:
Et nusquam visae choreas intexere nymphae.
Primus litoreum modulatus carmen Amyntas,

Et lina atque humiles eduxit ad astra phaselos;
Scilicet in silvis ne tantum musa Maronis
Usque foret, dulcis piscantum oblita laboris.
Nam quoque dignus erat cantu regnator aquarum
Et Thetis et Glaucus: non omnes frigida Tempe
Et pecudes laetoque iuvant in margine flores.
Litora noster amor, terris dum vixit Amyntas:
Ast ubi deseruit terras, non unda, nec ipsa
Assiduos possunt solari litora fletus.
Lyc. Ille autem superi iam felix incola regni
Candidus ecce terit fulgentis limen olympi,
Aspicit et terras humiles pontumque iacentem,
Sub pedibusque premit lunam solemque propinquum,
Praesentes geminos et pleiadas nimbosas;
Quin videt ut praeceps aquilo pluvialibus undis
Saeviat, ut tumidis luctentur fluctibus austri.
O adsis, divine; recens tu numen aquarum
Semper eris, semperque aras de more quotannis
Ponemus vitulosque tuis mactabimus aris.
Hic Melite flavosque Thetis resoluta capillos
Et Drymo atque alias vincens Arethusa sorores
Cymodoceque Spioque et candida Deiopea
Ad tumulum nectant pallenti flore corollas.
Interea nassas et vimineos labyrinthos
Linquite, piscantes, niveosque afferte lapillos
Et conchas: meritum donis onerate sepulcrum
Aequoreis: fieri sibi talia mandat Amyntas.
Cel. Ambo quam dulces effunditis ore querelas!
Nec mihi tam placeat spirantis sibilus aurae,
Qua tremuli summo crispantur in aequore fluctus,
Nec cycni plorantes flebilibus lamentis:
Pergite; non omnis forsan morietur Amyntas.

AN. MDCCCXXIII

Ecloga II

DE LEONE XII AD SVMMVM PONTIFICATVM EVECTO (1)

MELIBOEVS - ALCON

Quo pater albenti Clitumnus flumine campos
Alluit et pingui floret Mevania cultu,
Compulerat Meliboeus oves taurosque nitentes,
Quos Romam e silvis aditurus tradidit Alcon.
Hic sub rupe sedens, dum falleret otia cantu,
Arbuteas facili texebat vimine crates.
Ecce solo insultat, domino redeunte, Lycisca
Et celeri approperat cursu, caudamque volutans
Leniter ore manum lambit: molli ocius herba
Assurgit Meliboeus, Ades tandem, increpat, Alcon,
Tandem ades: et simul his reducem complexus amicum
Oscula defigit, dein talibus occupat ultro:
Mel. Implevit mea vota Deus: iam tempore longo
Finibus his aberas teque inter nota iuvenci
Pascua teque omnes exoptavere coloni.
Nunc paulum cessare viaeque incommoda dulci
Fas relevare toro: viden ut se populus alba
Explicet et fluvio viridis colludat imago.
Alc. Haud tempus, Meliboee, levi requiescere in umbra;
Roma sibi gratatur ovans, nam Pastor ovili
Redditus; ipse egomet vectum per compita curru
Pontificem et Romam vidi fervescere plausu.

Mel. Dic tamen insigni quisnam dignatus honore est.
Alc. Heros, o Meliboee, heros his montibus ortus
(Qui semper nobis modo numen habebitur), alto
Stat solio ingentique orbis sub mole laborat.
Mel. O patria, o silvae, tuque, o Mevania, felix;
Felix, o Clitumne, tuo cum flumine; iam rex
Fluviorum et magno diceris Tibride maior.
Hoc erat extremis quod rupibus Apennini
Insuetum per iter pratis regina volucrum
Incubuit, strepitumque ciens ingentibus alis,
Ter celeri circum volitavit ovilia cursu,
Haud illam pecus, haud illam timuere columbae.
At mihi, ni refugis, tenues cognoscere casus
Est animus, si tanta potes componere parvis:
Quae visa enarres avidis sequar auribus, Alcon.
Alc. Caseolos postquam clamans de more per Urbem
Vendideram, patriam subito camposque reverti
Mens fuerat, sed religio me tempore festo
Instaurare viam vetuit; sic otia quaero.
Iam medius prope sol aderat, iam tempus edendi;
Continuo magnis rumoribus insonat aer
Nescio quo tonitru: laeto clamore sequuntur
Romulidae, effusique ruunt per compita passim,
Per vicos plateasque. Videndi captus amore
Qua properant subeo. Stant colle palatia summo
Pontificum, atque aedes tantum dominantur et urbem
Quantum humiles inter pinus procera myricas:
Huc iter, hic stetimus tandem; tum vocibus altis,
Pastor, io, bone Pastor, io, Pater et populi spes.
Ut tamen edidici vulgo Patremque Deumque,
Oh! mihi quae rapiunt insanam gaudia mentem!
Nec didicisse sat est: animo sedet oscula sancto

Ferre pedi, cupidosque oculos explere tuendo.
Ille autem templo votum immortale daturus,
Spectandus populo niveoque indutus amictu,
Invehitur, laevaque premit dextraque propinquat
Turba frequens, laeta ingeminant e turribus aera.
Hic studium subiit: cubitu connixus in omnes
Expedio antevolans currum, ut iam tangere dextra
Gauderem; prostratus humi clamoribus insto:
Ac Deus arridens facili me lumine vidit.
Tunc ardent animi, fortunae ut nuncius issem
Primus ego: propero reditum saltusque reviso.

Mel. Fortunate nimis! tibi tot miracula rerum
Est vidisse datum: fuit et benesuada cupido,
Te cedente, viae socium me iungere (magnam
Audieram toties extolli nomine Romam);
Et facerem, ni dura minis et voce noverca
Dixisset: Graciles puerum servare capellas
Hic opus, haud longe positas inquirere terras.

Alc. Sed iam iam saturas tempus cohibere capellas
Et comites silvis excire et montibus altis.
Lucentem ad fluvium viridique in margine ripae
Conveniant: deceat festas agitare choreas
Et cantus iterare: Deum tollemus ad astra.
Ille quidem tenues non dedignatur avenas
Pastorum; ille quidem Pastoris nomine gaudet,
Et pecudes curare solet pecudumque magistros.

AN. MDCCCXXIV

(1) Auctor, quum adhuc in ephebis esset, rogatus carmen a patre in honorem novi Pontificis, hanc scripsit eclogam; ex qua, meliore nunquam fenore, totidem ab ipso patre iulios percepit, quot versibus constat.

Epistola I

AD ANGELVM BONVCELLVM E SCH. PIIS

An numeris ausim tibi respondere latinis,
Italiae an potius nostrae sermone soluto,
Longum haesi, Bonucelle, anceps: nam tempore ab illo
Ex quo Nazaridum tecta, mihi tam cara, reliqui,
Astraeae primum studiis distentus, et inde
Obrutus innumeris curis, valedicere musis
Debueram et genio non indulgere, minerva
Quamquam haud invita fluerent mea carmina; sed nunc
Et maiora premunt animumque negotia torquent
Vindelicos inter, neve hic subridet Apollo.
Attamen ob dulcem quid non reddemus amicum?
Carmina te, Bonucelle, iuvant; et carmina mittam,
Quaecumque exciderint calamo: tu corrige, sodes.
Me magna egressum excepit Germania Roma
Monachiumque tenet regale: hoc surgit in alta
Planitie pedibus sexcentis mille, sed inde
Tempore et aestivo frigus pluviaeque frequentes;
Hiberno quid erit, boreas quum turbidus imbres
Inducetque nives altas, atque arva rigore
Squalebunt brumali late, atque Isar acuta
Constiterit glacie, dominam nec perfluet urbem?
Italia oh felix! felix, mea Roma, supernis
Urbs oh cara nimis! felix, Bonucelle! sodales

Qui dulces inter frueris nunc collibus Albae,
Arva ubi laeta nitent tepidisque favonius alis
Transvolat et roseus claro sol splendet in axe:
Quam mallem tecum Albanum conscendere montem,
Aut ubi praeruptis assurgit Aricia saxis
Aut arx Gandulphi, et sociis iam sole cadente
Pergere romuleam qua semita ducit ad urbem!
Quid prosunt vota? Alpium ego namque arcibus altis,
Exul honoratus, longo ah! nimium intervallo,
Disiungor Roma, caris disiungor amicis.
Ast aequum est parere Deo, qui, voce suprema
Pastoris, patriam, fratres dulcesque sodales
Linquere me subito et Germanos visere iussit.
Sic bonus o Deus hic det opem, faveatque secundus
Inter tot casus iucundam vivere vitam.

DABAM MONACHII X ID. OCTOBR. AN. MDCCCXLV

Epistola II

AD EVMDEM

Quam grata, o Bonucelle, tuo, vix dicere fas est,
Advenere stilo quae carmina sponte fluebant;
Nam neque lustra duo, poterit nec longior aetas
Tam carum delere meo de corde sodalem.
Si bene tu valeas, Bonucelle, frequenter amicis
Expetii, quid agas, nunc quaeque negotia tractes.
At modo me facili recreat tua littera versu.
Tempora tu recolis, quum nos, stipante iuventa
Nazaridum, simul albanos nunc visere colles
Aut libuit, docto comite, aspectare Bovillas,
Aut altum latiale Iovis conscendere templum,
Aut ubi florentem prospectat Aricia vallem,
Aut ubi sternit iter Romam regina viarum
Appia, marmoreis sic iam miranda sepulcris.
Non haec iam: sed vix tantum meminisse iuvabit.
Nunc sacri iubeor Pastoris munere fungi,
Aesium ubi pingues serpens interfluit agros.
Funde preces, venerande Senex; heu quam grave pondus
Impositum misero, nisi numine sublever alto!
O utinam te iterum Romae modo visere possem
Alloquiisque frui dulces hos inter ephebos,
Atque subire aulam, depicta ubi prostat imago
Nostra, perenne tui monumentum et pignus amoris!

Auguror interea, quum iam novus incipit annus,
Ut felix vivas, et det bona Numen amicum
Caeli e rore tibi, det de pinguedine terrae;
Et tandem ingrediare polum post Nestoris annos.
Etsi multa premant, mihi nec subridat Apollo,
Pauca tamen, quae dulce ferant solamen amico,
Haec calamo currente tibi dictare lubebat
Carminibus Latii, Bonucelle; essemus ut ambo
Et cantare pares et respondere parati.

DAB. AESII CAL. IAN. AN. MDCCCLIX.

Epistola III

AD ANTONIVM ZANOTTVM
RHETOREM IN SACRO SEMINARIO AESINO

Antiquis quaedam lyra non audita Latinis,
Quam nostri a viola mercato nomine dicunt,
Iam placuit, Zanotte, aetas quum iunior iret,
Tempore quo musis alacer mea vota frequenter
Seu veteris Latii, italico aut sermone litabam.
Quam meminisse iuvat lectis immixtus amicis
Tendere principio sensimque remittere chordas
Auribus arrectis, symphonia reddat ad unguem
Concordem ut sonitum; mensura hic prodere certa
Seu quae Mozartus seu quae descripsit Hayden,
Lumina Germani cantus, aevoque recenti
Bellinus, Donizettus, Rossinus et ille,
Carmina nativo nostrum mage grata palato:
Et laevae digitis rapidas percurrere chordas,
Dum crinale agitat bene gliscens dextera plectrum;
Melliflui hinc sonitus lenesque gravesque trahuntur;
Singula nunc vox, nunc quatuor discordia concors
Chordarum intentas demulcet suaviter aures.
Quid dicam? tractare bono vix alite coepi
Iunior ipse chelym, me Paganinius audit
Datque animum; laetor: pictores emicat inter
Ut Raphael, citharoedus et ille: iuvenculus ardens

Gratulor ipse mihi, capio et felicius omen.
Quandoquidem nostra quaenam miracula possit
Is Ligur excivisse lyra, vix credere fas est!
Ut mos, forte via dum Paganinius iret,
Caecus homo strepit ecce chely, minimeque peritus
Dat plectro sonitus, incompto et carmine ludit.
Astat multa, frequens, inopem miserata canentem,
Plebs circum, nec multa tamen stips fertur egeno.
Arripit en citharam olli Paganinius; omnis
Circumstans dulces numeros bibit aure: putasses
Illum qui fidibus thebanam condidit arcem,
Sive feras silvae mulcentem lenibus Orphea.
Plurima turba vocata novo ruit undique cantu,
Prodit et ille melos gratum mage; deinde misello
Collectam large dat opem: haec benefacta recenset
Usque memor Genua atque suo gratatur alumno.
Fama est, insignem citharoedum forte taberna
Dum tenet, intentis ad valvas auribus astat,
Aucupet ut sonitus, mulier; sed ludere chordis
Incipit ipse lyraque novas expromere voces.
Tum stupet insuetos strepitus audire ferarum,
Aut ululare lupos, rabido aut fremere ore leones,
Seu grunire sues, barros raucumve cientes,
Nunc rancat tigris, nunc ursus saltibus uncat,
Hinc suaves avium numeri, inde hinnitus equorum.
His fugit auditis perterrita; quid sibi tanta
Monstra velint ignara, trementi pectore volvit:
Quadrupedum volucrumque putat vivaria silvas
Edisse aut magica miranda haec prodier arte.
Tanta haec egregius plectro fidibusque canoris
Voce potest, variisque auditor lusibus haurit:
Nunc etenim veluti tonitru reboare profundo

Cordaque contremere et tellus, nunc carmine laeto
Leniri sonitu pectus dulcique susurro.
Haec fuerunt, Zanotte; modo diversa sequuntur
Pastoris munus studia, ut vix pondera ferre
Heu nimia! infirmis valeam nec viribus aequis.
Fervida vota Deo nunc sunt fundenda, saluti
Nunc hominum instandum, ut iter sternatur olympo.
At iuvenum, Zanotte, tibi concredita cura est,
Qui satagunt pulcras callere fideliter artes,
Sive vetus Latium seu quas alit itala tellus.
O iuvenes, gregis o pars lectissima nostri,
Vosque sacerdotes templum, vos patria cives
Expectant, cum opus est: ne spe fallantur inani
Pergite, magnanimi, studiis instare; magistro
Det Deus et vobis terris feliciter aevum
Et sedes tandem aeternum habitare beatas.

DAB. AESII XVII CAL. DEC. AN. MDCCCLVI.

Epistola IV

AD IOSEPHVM IACOLETVM E SCH. PIIS
POETAM OPTIMVM

Quae vapor applicitus variis miracula rebus
Exerit hoc aevo, non usquam visa Latinis,
Docto equidem ac versu scribis, Iacolete, nitenti,
Insuetum per iter pergens felicibus ausis;
Gratulor ex animo: nam quae non ultima laus est
Italiae, scirent nostri! servatur, et omnis
Haud moritur Zamagna, Nocetus Cunichiusque.
Ac modo quum nugas cives sectentur inanes
Et veterum chartas exhorreat itala pubes
Atque novis petulans insanis ausibus instet,
Difficili Sophiae pertractas ardua versu.
Felices nimium qui tanti sorte magistri
Laetantur, Latii quique exemplaria volvunt,
Te duce. Te nostri quantum admirantur alumni!
Qui, nosti, pulcras didicere fideliter artes,
Expleto trepida quum mente pericula cursu
Annua tentabant, rigido censore bonoque,
Qui calamo arrepto scrutatur carmina et inquit:
Corrige iam hoc atque hoc: nec menda fallitur una.
Tertius, at nimis heu longus! iam volvitur annus,
Ex quo te frustra exoptat, mea cura, iuventus.
Ah redeas, precor, ah redeas! sapiente magistro

Artibus ingenuis studuit, sudavit et alsit,
Nec genio indulsit: comoedia namque, Minerval
Est titulus, bacchanali vel tempore gesta est,
Quam nitide Latii scripsit sermone Palumbus
Loiolides, salibus Plauti et condire sategit,
Quam spectatores plausu excepere frequenti,
Quam repetent iuvenes, te spectatore, libenter.
Ergo veni, exoptate veni; mea tecta patescunt;
Me dulcem lubet et doctum vidisse sodalem
Alloquioque frui et mensae accumbere eidem.
Nulla viae, te nulla loci formido moretur;
Non hic insidiae, non plebs aptata tumultu.
Promptum iter: Urbino veniens via ferrea iam nunc
Ad mare porrigitur; nitido quem carmine dicis,
Hic vapor excipiens cantorem gestiet; undis
Adriacis Aesinus ubi se flumine miscet
Te rapide rapiat, dein huc mea rheda reducet.
Iam valeas, bone; sed veteris memoreris amici.
Haec Aesii maiis scripsi, Iacolete, calendis.

AN. MDCCCLXII.

Epistola V

AD CAIETANVM FRATREM ARCHITECTVM EQ. GREGOR.

FRAGA

Sponte sua quae laeta iugis nascuntur in altis,
Frondentes inter silvas, quaeque educat hortus
Irriguis excultus aquis, redolentia Fraga
Dicere fert animus: nam tenuia carmina vatem
Alliciunt, humilemque iuvat tentare laborem.
Si mensis tibi cara placent haec dona secundis,
Accipias nostros, Frater dulcissime, coeptus,
Quos vacui curis Planina lusimus Arce (1),
Aspirat tepidi lenis vix aura favoni
Pulcraque odoratis viridaria floribus halant.
Ergo subiectum domui lustremus agellum;
Pergere ne mecum pigeat, nec lumina, sodes,
Pallidulae rapiant violae suavesque hyacinthi,
Nec rosa, quae late circum diffundit odorem,
Nec tandem latebris in apertum lata relictis
Citria, candentes mittit quae vivida flores,
Vel medio qui fonte natant salientibus undis
Ludentes vario depicti tegmine pisces:
Non haec te moveant, sed stratas ordine pulcro
Areolas hinc inde vides, ubi fraga rubescunt
Mollia, odoriferis et olent afflatibus aurae.
Rusticus ipse solo iaciebam semina, vix dum
Vere novo laetis ditescit frondibus arbos:

Nam lenes fetus et lenia tempora poscunt,
Neve sub algenti possunt se tollere caelo,
Et tellus, medium ad solem quae spectat aprica
Nec boream metuit, fragis magis apta ferendis.
Non olitor saturare fimo vel navus omisit
Saepius effusis plantaria spargere lymphis,
Quum renuit campis caelum sitientibus imbrem.
Quin prius et glebas versare et dente ligonis
Incurvo purgare iuvat; felicior arvis
Elicitur fructus, fibras si caedis inanes
Et longo terris reptantia stamina filo.

Attamen haud uno nascuntur germine fraga,
Ut crescunt variis variae in regionibus herbae.
Non equidem multas species et nomina multa
Purpurei fruticis comprendere versibus ausim:
Musa fugit, licet ad formam detorta latinam,
Barbara verba suo non exaudita Maroni.
Si vacat, aut doctas Linnaei perlege chartas
Quasve recens nostro Duchesnius edidit aevo.
Quid refert memorare, aut quae fragaria vesca
Dicitur aut cultis mercata est nomen ab hortis
Vel quae virginio succrescit litore vel quae
Chiloensi canadoque, altas quaeque incolit Alpes
Silvestris facie pallens, quamque India gignit?

Sed quaenam mundi regio, quaenam, itala tellus
Fortunata, tuis contendet fructibus unquam?
Cuncta tibi mitis tribuit clementia caeli
Nilque negat; plenis flavescit campus aristis
Et passim gravidae baccis curvantur olivae
Plurimaque agrestes tingit vindemia plantas,
Arboribus pomona nitet cultuque frequenti
Undique purpureos imitantia fraga tapetes.

Haec tibi, quantumvis ditissimus, invidet Anglus.
Abnuit acris hiems, convivia magna reposcunt:
Ergo conduntur fabrefactis semina claustris,
Hinc paries, hinc vitra tegunt, lux alma penetrat
Fertilibus radiis (aliter non ulla virescent),
Ignibus interdum quoque fit mitissimus aer
Et teneros partus fovet: indignata sed arte
Emendicatis aufert natura saporem.

Ast quae fraga meis exculta laboribus ornant
Frugalem, o Frater, maturo tempore cenam,
Dulcia et ipsa tuo venient pergrata palato.
Illis iunge merum quaeque indica prodit arundo,
Exsecto deprompta sinu, candentia mella.
Non mihi praetuleris ficus aut persica mala
Prunaque, devicta vel quas Cerasunte ferebat
Lucullus baccas, sive autumnalia poma:
Nucleo enim labor est ut duro et cortice purges.
Extollant alii grandes ex arbore natos;
Vos, humiles fetus et humi nascentia fraga,
Ipse canam, vos ipse seram, vos flumine spargam
Irriguo, et vestro cumulabo munere mensam:
Mella sapore, rosas afflatu suavis odoris
Vincitis et rubeo flammantes ore pyropos:
Vos mihi gustanti rapitur mens, altaque virtus
Numinis effulget, quae parvo in germine tantam
Immisit speciem, tanta et dulcedine fudit.
In tenui portenta Dei miranda patescunt.
Nec mihi magnanimum quassantem terga leonem
Ostentes saltusque implentem vocibus altis,
Non agilem in silvis maculoso tergore tigrim
Aut rapidis aquilam pennis per inane volantem:
Admiror paleas properantem abscondere quercu
Formicam tenues et apum cellaeque labores.

Et meliora manent fragorum germina, Frater,
Si montem superare lubet; namque optima prodit
Ultro magna parens rerum, nec vincitur arte.
Hic densas inter silvas, hic mollibus herbis
Succrescunt immixta; venit quum tardior aestas,
Visu pulcra nimis, gustu gratissima certant
Et flatu et specie flores anteire; puellae
Festinant puerique gradum, raptisque canistris
Collegisse iuvat fructus per prata recentes.
Fraga olim sed quum legeret silvestria Phyllis,
Haec inter latitans extemplo prosilit anguis
Horridus: heu miserae solvuntur frigore membra!
Ah! fer opem clamat, bona Virgo, manumque reducit.
Ocius ille fugit sinuatque volumine corpus,
Abditur et saxis: vires animique puellae
Tum redeunt, properatque piae sua dona Parenti.
Nam nemore in medio, quercu protecta virenti,
Parthenidos cellae depicta nitebat imago:
Hic populi pietas, hic lampas lumine sacro
Nocte micat saltusque horrentes discutit umbras.
Vimineis cogit fragrantia fraga canistris
Purpureisque rosis et odora fronde coronat.
Tum proiecta genu ante aram sic ore precatur:
Sancta Parens, quae me tantis arcere periclis,
Quae saevo me dente dabas servare colubri,
Haec grati devota tibi munuscula cordis
Accipe; forsan ego, veniet quum grandior aetas,
Virgo bona, et maiora tibi et meliora rependam.
Dixit, et agrestem calathum deponit ad aram.
Fragis nec solum spectabile fetibus ostrum
Indidit Omnipotens dulcesque expromere succos,
Solamen labiis rabido sitientibus aestu;
Ast etiam foliis dedit et radicibus uti

Curandis hominum morbis: expertus et ipse
Linnaeus, terrae partus qui novit et herbas
Quique omnes proprio descripsit nomine plantas,
His tardam, sic ille refert, vicisse podagram.
Forsitan et quaeres, primus qui montibus altis
Sponte renascentes soboles induxerit hortis
Iusserit atque novo campos parere labori.
Alcinous dum rex phaeacia sceptra teneret,
Extulit ingenti miranda palatia luxu,
Nec procul hinc quatuor per iugera condidit hortum.
Miratur Corcyra sui pomaria regis,
Arboribus patulis quae circum et sepe revinxit;
Mirantur Graii, peragrans miratur Ulysses.
Hic oleae baccis pingues, hic punica malus
Et pendens gravibus felicior uva racemis
Et pyrus et dulci spumantes nectare ficus
Atque fatigatos hic poma onerantia ramos,
Et partus maturus ubi fecundior, arbos
Ipsa novas mittit gemmas, nec deficit unquam.
Usque leves zephyri volitant, et binus aquae fons
Auratas aedes feliciaque abluit arva.
Hic igitur primum, si me non ludit Apollo,
Quamquam Maeonides taceat, dulcissima fraga
Mutarunt silvestrem animum, cultuque benigno
Consita coeperunt Phaeacum assuescere terris,
Primaque magnanimi decorant convivia regis.
Sed satis; occiduas nam sol declinat ad undas:
Cena vocat, Frater, cenae iam fraga nitescunt
Mollia. Perge frui iam munere divitis horti.

IDIB. APRILIS AN. MDCCCLXIV.

(1) Arx Planina, italice, *Castel Planio*, est oppidum prope Aesium in Piceno.

Epistola VI

AD ANSELMVM FRATREM IVRISCONSVLTVM EQ. PIANVM

ARX PLANINA

Aesium heri liqui, et Planinam pergere ad Arcem (1)
Me iuvit, florescit ubi mea villula, Frater.
Hic satis ampla domus, Benedicti hic inclyta proles (2)
Incoluit statuitque Patri de more sacellum.
Ergo vere novo, vix pinguia prata virescunt,
Corporis effractas vires animumque relaxo,
Sepositis tandem curis, ac otia quaero.
Scire cupis quid agam, mihi quis sit temporis ordo?
Ecce: sub auroram strato consurgo, Deoque
Vota fero primum, dein Hostia sancta litatur.
Undique, campano turris vix personat aere,
Agricolae sacro intersunt humilesque coloni:
Nullus adest dives; placet huic requiescere lecto
Neve frui iucundo mane salubribus auris;
Infelix! terit ipse levi sua tempora somno.
Pocula, ut est moris, mihi matutina parantur:
Tosta faba et trita est, regio quam mexica mittit,
Exsectae copulantur arundinis indica mella.
Marmore sternuntur bina haec, agitata cylindro
Pressaque miscentur repetitis nisibus: una
Fit massa, in speciem laterum durata; calenti
Solvitur hinc unda, versatur turbine ligni

Dentibus excisis, et spumea pocula complet.
Cinnama misceri parcas et aromata, si vis,
Ne calidus ventrem et praecordia torreat humor.
Delibes suctu mellitaque crustula iungas.
Potio quam nostro dulcis, quam grata palato,
Quin etiam capiti fesso stomachoque salubris!
Nam bene tu memoras, Frater, mihi viscera morbus
Quum torqueret atrox, arceretque improba febris
Quosque cibos, illam tantum non respuit aeger.
Indica si mihi cordi est potio, non ego certe
Planini spernam collis tua munera, Bacche:
Caecubo enim dulci antefero veterique phalerno,
Et numeris generosa meis et lenia tollam.
Sed iam ferre pedem ruris per aprica viarum
Allicior peragransque auras captare tepentes;
Mollia namque vocant et rore nitentia prata.
Ergo Planinam iuvat aut descendere ad Arcem,
Finitimi aut facilem Marcelli scandere clivum [3],
Unde oculus visu late circumspicit agros
Florentes vallesque cavas atque oppida celsis
Addita verticibus: parte ac quae vergit ad ortum,
Adriaci vada salsa maris, quaeque aspicit austrum,
Summa Apennini iuga, quae te, maxime vatum [4]
Ausoniae, sensere, sacro quum carmine cantas
Quos fera supplicia excruciant flammaeque perennes
Vel quos exercent purganti carcere poenae
Quosve Deus vocat ad superos ut pace fruantur.
Haec loca dum relego, cari comitantur amici,
Doctus Ioannes rhetor, qui fingit alumnos [5]
Artibus ingenuis, dulcissima pignora, nostri
Spem gregis; aut Ioseph, barba ac virtute decorus [6],
Magni Francisci mihi devinctissima proles;

Aut Sanctes, ritus callens moresque sacrorum [7].
Planinam quod si lubeat percurrere villam,
Ordinibus positis hinc inde virentia praebent
Ridentem myrteta viam: si fulgidus axe
Sol micet ardenti, patulis caput obtegit umbris
Multa arbos longi digestaque fornicis instar:
Hic quoque, si placeat, dabitur considere fesso.
Sed mage grata foret tecum mea villula, Frater.
Si vacat, et magnam te forte negotia Romam
Deseruisse sinunt, pergas huc quaeso parumper:
Oh quam tu veniens animum solaberis aegrum!
Attamen haud doctis furor mea tempora chartis,
Nunc levibus versor studiis, nunc seria tracto:
Nam veneranda manu persaepe volumina verso,
Quae Deus inspirat, vel quae clarissima mundi
Lumina, doctores graii aut scripsere latini.
Mente etiam recolo dudum iuvenilibus annis
Quae mihi deliciae fuerunt tua carmina, Flacce,
Vel tua, docte Maro, mihi quo non carior alter.
His quodam ipse die studiis dum forte vacarem,
Tempore ut aestivo solet, en polus horruit imbre
Praecipitesque ruunt pluviae; genus omne volucrum
Diffugit expavidum seque inter tecta reducit:
Tunc madefacta meae cellae succedit hirundo.
Tangor avis casu trepidae, pannoque misellam
Exsicco foveoque, redit tunc vita rigenti.
Interea nox atra suas diffuderat umbras:
Illa cubat defessa, nec ipse quiete iacentem
Excutio totam per noctem, cumque fenestras
Intrat mane novum, sedem circumvolat omnem,
Pipilat, et capiti nostro nunc insidet et nunc
Laeta humeris, certatque suas expromere gratès

Qua ratione potest. Dura ah! mortalia corda
Atque oblita, animi gratos discite sensus!
Sed sino iam volucrem patulis exire fenestris:
Illa fugit celeri liquidum per inane volatu.
Haec, Frater, meminisse iuvat: sed temporis ordo
Me revocat coeptumque iubet pertexere carmen.
Hora igitur mediae quum praeterlapsa diei est,
Extimulat venter frugali accumbere mensae.
Hic mihi pulmenti patina est et fercula tantum
Bina, et trina, ullus si forte advenerit hospes,
Vernantes herbae lectique ex arbore fructus,
Mollia fraga iugis qua tempestate rubescunt.
Post haec exiguo liceat dare corpora somno,
Ut fessas recreet vires: nam tardior aetas
Ecce venit, decies seni volvuntur et anni.
Inde sacerdotum praestat cecinisse diurnas
Nocturnasque preces; veniam exorare necesse est
Et pacem, quum tanta premant incommoda vitae:
Quandoquidem crudele iugum, crudelia iussa
Perferimus, patriae mendaci urgemur amore;
Hinc italus nobis, non barbarus imminet hostis.
Desero dein aedes rursus comitesque requiro,
Ut comi fruar alloquio et solamen apricae
Sint mihi dulce viae: et quod amor pietasque sacellum [8],
Virgo, tibi statuere, peto: mox poplite curvo
Vota fero supplex, florum et munuscula pono.
Sed iam stat revocare gradum sedemque subire,
Nam caput occuluit sol, nox ruit humida caelo.
Hic igitur tenui pronus sub imagine frugis
Te, o Christe, colo: caros dein inter amicos
Acta diurna lego, regum quae facta retexunt
Et populi variasque vices, animo haud tamen aequo.

Omnia enim turbis miscentur et omnia luctu:
Saevit ubique agitatque faces immitis erynnis,
Spreta heu religio! sacris deserta ministris,
Templa Dei passim spoliis viduantur avitis,
Pellitur et claustris virgo. Loca, dedecus urbis,
Turpia cuique patent. Florenti vere iuventus,
Indignor referens! studiis raptatur iniquis,
Progenies Italis vitiosior. O bona Mater,
O Virgo, affer opem; roseis sic vota corollis
Nectimus orantes extremo vespere: sic te
Prosequimur precibus. Sed iam, dulcissime Frater,
Finis epistolii sit, finis namque diei.

CALENDIS MAIIS AN. MDCCCLXIV.

(1) Oppidum ad novem millia passuum ab urbe Aesio ad occidentem.

(2) Prope oppidum in amoenissimo collis iugo sita est villula Cardinalis Episcopi Aesinatium, sedes olim ditionis Abbatis S. Benedicti.

(3) Podium S. Marcelli, oppidum prope Arcem Planinam.

(4) E villa Cardinalis Episcopi procul apparet, occidentem versus, bifurcum Catriae Montis fastigium, quo secessit Dantes Aligherius, ut in Camaldulensium solitudine Divinae Comoediae operam daret.

(5) Sacerdos Ioannes Annibaldius, in sacro aesino Seminario Rhetor.

(6) P. Ioseph Fidelis, camers e Coenobio aesino Sodalium Capulatorum S. Francisci, theologiae Doctor in sacro Seminario.

(7) Sacerdos Sanctes Procicchianius, in cathedrali Ecclesia Beneficiarius, et apud Auctorem caeremoniarum Magister.

(8) Media fere via inter Podium S. Marcelli et Arcem Planinam, aediculam Dei Genitrici sacram Auctor servandam curavit.

Epistola VII

AD IOSEPHVM FRATREM CENTVRIONEM MILIT. MACHINARIOR. IN EXERCITV PONT. MAX.

CARCERES PALATIANI

Quae malefacta tenent diro me carcere quaeris
Sollicitus, Germane, doles dum pectore toto?
Dicam equidem, et satagam fraternae vulnera curae
Lenire atque animum tristem mulcere camoenis,
Quae tibi nempe novos retegant ex ordine casus.
Nox erat, inclususque domi de more sedebam (1)
Securus versans libros: nil tale timentem
Oppetit en subito miles, compellit et ire
Captivum Anconam. Stupeo, sed non tamen ullus
Corde subest pavor: insontem quae cura remordet?
Nec mora, conscendo rhedam; comes unus et alter
Ioseph et Sanctes (2), fidissima pectora: custos
Cinctus adest gladio propius multusque satelles.
Vix haec fama refert, fletus gemitusque meorum
Auditur: miseros verbis solabar amicis.
Atque iter ingressus laudes et carmina summo
Grata Deo persolvo, etenim dignatur honore
Haec me dura pati. Populi stat plurima circum
Turba stupens captumque gemit; sed sibilus anguis
Non tacet adversi: dextram tum sublevo plebi,
Signa crucis referens; rapidis dein raptor habenis.

Candida luna polo fulgebat: limpidus aer,
Quamquam frigidulus; stravere silentia terras,
Membraque laxabant homines pecudesque quiete.
Nullis trita via est: ferro quum rheda repente
Sistitur abrupto; descendimus, atque pedestres
Cogimur ire vias, armato milite septi.
Est domus Anconae, dat sancta Palatia nomen [3]:
Virginibus statuit sacris, melioribus annis,
Prisca patrum pietas. Clarae hic castissima proles
Floruit insignis longo virtutibus aevo;
Hic puri mores, hic fervida vota precantum,
Hic pax alma, pio hic resonabant moenia cantu.
Sanctae aedes!... Heu nunc quantum mutantur ab illis!
Nequius hic quidquid, quidquid vitiosius una
Cogitur: humano foedas hic sanguine palmas
Exhorres oculosque truces infandaque verba;
Hic furor, hic scelerum facies, hic pectore saevo
Advigilat custos et ferrea vincla ministrat.
Hic mihi parta domus, vix tertia fluxerat hora
Noctem post mediam; stridenti cardine porta
Panditur: ingredior, solida sed mente; praeit me
Laterna pannosus homo barbaque rigenti:
Cuncta silent circum; aedes et vacua atria lustro.
Tandem cella brevis mihi: sternunt infabricata
Ligna pavimentum, sedes quae muribus apta est.
Occludit duplex crates ferrata fenestram,
Intus vix lumen, vix purus permeat aer.
Humidus est paries: geminas mirabere sellas
Detritas tabulamque rudem durumque cubile;
Contraho crura, etenim nimis est mihi lectulus arctus.
Somnus abest; nam qui valeam requiescere somno?
Surgit festa dies Domini; sacrumque litare

Exposco frustra, sacroque negatur adesse:
Sic praeses iubet. Aegro animo ius fertur iniquum:
Dura olli facies et pectus durius olli.
Nec datur exiguam conclavi exire per horam,
Neve frui caelo et patula spatiarier aura.
Talibus Anconae premor: urbe at passus eadem
Tu, Frater, graviora; die tibi filius una
Quadrimus rapitur, casu consumptus acerbo [4].
Heu! mellite puer, nimis heu! lacrimabilis error
Compulit ignarum subito succumbere leto.
Tu tamen haud doleas, Frater; mens nescia labis
Et nive candidior superos micat inter alumnos
Aeternum, patruumque patremque tuetur amantem.
Ne mea sors, Germane, quidem sit causa doloris;
Macte animi, nec enim capto solamina desunt.
Tristi lenimen sunt sacra volumina cordi [5],
Quae Deus ipse dedit, quae dulcia, fluctibus actus
Immanique iugo pressus, Machabaeus habebat.
Et bonus est Sanctes laterique fideliter haeret,
Allicit et comi alloquio, solatur et aegrum:
Risu solvit inepta loquens Vincentius ora [6].
Si Ioseph, quo non est observantior alter,
Carceribus nostris haud clauditur, attamen ullis
Non deest officiis; quin immo providus, ardens
Cursitat, alloquitur, vitae mea facta recenset,
Iudicibus nullo monstrat me crimine foedum.
Lecti saepe viri properant invisere captum [7],
Quos inter carus dudum iuvenilibus annis
Et Benedictus adest, quem purpura et infula fecit
Sacra parem veterisque obstrinxit foedus amoris [8]:
Quid memorem benefacta? mihi quoque fercula mittit
Ipse sua et vinum lene et bellaria multa.

Nec taceam te, Francisci capulate Sodalis,
Angele, nunc sanctis recreas sermonibus, et nunc
Abstergis divo patratas sanguine labes (9):
Namque Deum, Frater, culpa offendisse fatebor,
At nullo humanas violavi crimine leges.
Prodere num liceat secreti credita cordis
Atque arcana loqui? Nepomuci maximus Heros
Fortiter integram mavult effundere vitam (10).
Debeo nil iuri, cur haec me vincula stringunt?
Iniusta cur vi rapior, cur linquere gnatos,
Quos mihi religio peperit, sedemque meosque
Cogor ego? heu mores! heu tristia tempora! Sed non,
Frater, me mea damna premunt; aliena dolore
Torquent heu! quanto et moestissima pectora vexant.
Vos, Christi sponsae, sacrum vos semen ephebi,
Vosque, sacerdotes, heu! quot suspiria corde
Funditis, et lacrimis vinctum gemituque cietis.
Sed durate boni. Modo nam quum Davidis hymnos
Perlegerem, hoc forte occurrit: Pia vota misertus
Excepit Dominus, tristem laceravit amictum,
Dat laetam vestem mutatque in gaudia mentem.
Eia Deo grates (11). Mensis nunc volvitur almae
Parthenidi sanctus; Gargani monstra recensent
Et nunc Christiadae; Michael descendet ab alto,
Vinciet et Satan, captivi et vincula solvet.
Tu quoque sume animos, Frater, mens praescia vati est (12).

NONIS MAIIS AN. MDCCCLXIV.

(1) IX calendas maias MDCCCLXIV, Aesii captus est Auctor a militibus in suo conclavi.

(2) Ioseph Buccius, sacerdos et Auctori a secretis. — Sanctes Procicchianius, sacerdos et Auctori caeremoniarum magister.

(3) Carceres anconitani, nuncupati a S. Palatia, ubi erant olim Virgines clarales.

(4) Meminit Auctor quadrimi filii fratris sui, iam Anconae degentis, cui fuit nomen Michaël, qui, per errorem sumpto nescio quo veneno, misere brevi interiit.

(5) Legitur in Machab. lib. I, cap. XII, v. 9: Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.

(6) Vincentius Borghius, Auctoris familiaris, in eodem carcere commorans.

(7) Hos inter grati animi causa adnumerandus Princeps Petrus Bourbon Del Monte, qui omni officiorum genere et solemni significatione Auctorem prosecutus est. Hic vir nobilissimus, recens e vivis ereptus, impiorum vituperiis et bonorum laudibus ac lacrimis est honestatus.

(8) Antonius Benedictus Antonuccius, Cardinalis, Episcopus anconitanus.

(9) P. Angelus ab Apiro, inter sodales Capulatos Doctor.

(10) S. Ioannes Nepomucenus, Martyr ob sacramentale silentium.

(11) Ultimo captivitatis die, nempe V idus maii, forte occurrerunt Auctori haec verba psalmi XXIX, v. 13 et seq: Audivit Dominus, et misertus est mei.... Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia: ut cantet tibi gloria mea . . . . . .

(12) Auctor V id. maii e carcere liberatus est.

Epigrammata (1)

I

DE S. FELICE NOLANO

Felicem insequitur Christi dum nominis hostis,
Binus ei praebet perfugium paries:
Quem subito spissis praetexit aranea filis,
Ne foret ulla novae suspicio latebrae.
Sic tenuis iustum fugientem tela tuetur;
Servare at sontem turris ahena nequit.

II

DE S. PETRO PER AQVAS INCEDENTE

Impavidus mediis vestigia ponit in undis
Petrus, et instabiles itque reditque vias:
Et licet iratis assurgat fluctibus aestus,
Securum siccis vadit iter pedibus.
Sic volucres venti, sic mobile paruit aequor,
Cui fuerat sanctae credita cura ratis.

(1) Ex his nonnulla sunt adolescentiae.

III

PIO IX P. M. ANNOS S. PETRI EXPLENTI
AVSPICIVM

Vidisti Petri, quod nulli contigit, annos,
Magne Pater; tali munere dignus eras,
Quippe fidem Petri renovas: Ioannis et aevum
Nunc age, Ioannis nam tibi fervet amor.

IV

DE S. CAROLO
A PRAESENTI VITAE DISCRIMINE DIVINAE MATRIS OPE LIBERATO

Virginis ante aram per amica silentia noctis
Fundit ferventi Carolus ore preces.
Aspicit iratus Satan, animoque revolvit
Infensum subita perdere morte virum:
Suppetit arma feroque incendit corda latroni;
Ferrea glans agitur, fulguris igne volat.
Diriguere: unus solida stat mente sed heros
Multum orans: ictum reppulit alma Parens.

V

AVCTOR AESII DEGENS A S. MARCELLO
POSTVLAT VT ROMAE AD EIVS ECCLESIAM CONDATVR
IN SEPVLCRO GENTIS SVAE

Septimium aesinam mittit Marcellus ad urbem;
Dat Christum, et sacro sanguine tingit humum.

Me Pius huc mittit: subeo, sed viribus impar;
Septimii cinxit sancta tiara caput.
Me Romam, Marcelle, voca: si viximus Aesii,
Membra, precor, templo condere posse tuo.
Hic pater, hic mater dormit fratresque meique:
Hic tandem cum illis excitet ossa tuba.

VI

AD GREGORIVM XVI
VILLVLAM ALBANAM COLLEGII NAZARENI ITERVM INVISENTEM

Te, venerande Parens, exacto hic vidimus anno,
Hic licuit sancto basia ferre pedi.
Nos iterum facilis non dedignaris, et ultro
Ingrederis parvum maximus hospitium.
Sic Deus, o Bone, te servet, sic quolibet anno
Devotos placeat visere Nazaridas.

VII

ANTONIO BENED. ANTONVCCIO CARD. EPISC. ANCONIT.
AVCTOR ELEGIAS DE MARIA PERDOLENTE DONO MITTIT

Hunc, licet exiguum, finxit quem musa libellum,
Musa aegros blandis apta levare modis,
Accipe, dum tumidis agitatum fluctibus aequor
Currimus, et cymbae non datur ulla quies.
Atque utinam numeris tantum solarer amicum,
Quem dudum grato fenore iunxit amor!
Nam, Bone, tu recreas duro me carcere vinctum,
Tot mala quum premerent, dulce levamen eras:

Quod praestas, Benedicte, ullo non excidet aevo,
Et memori nunquam diffluet ex animo.

VIII

BERNARDINO QVATRINIO CAN.
DE EIVS ITALICA VERSIONE ELEGIAR. MARIAE PERDOL.

Carmina Parthenidos recolentia moesta dolores,
Quae Latii numeris scripsimus imparibus,
Dum tu, Quatrini, patriis sic versibus ornas,
Admiror coeptus ingeniumque tuum.
Virginis hinc quoties luctus meminisse lubebit,
Non mea, sed tua iam, docte Poeta, legam.

IX

IN DIE NATALI NICOLAI NICOLAII
CVRATORIS VIARVM VRBIS SOLLERTISSIMI

Quid tibi, Nicolae, Deum, quid versibus orem,
Haec dum natalis fulget amica dies?
Incolumis, felix per tot discrimina vitae
Semper inoffensis transilias pedibus!
Quippe tuo est dono quod iam licet ire redire
Urbis inoffenso per loca cuncta pede.

X

ANSERES CAPITOLII

Sit custos arcis Tarpeiae candidus anser;
Cedite, segnitie languida turba, canes:

Dum vos somnus habet magno in discrimine rerum,
Ille vigil servat limina sacra Iovis.

XI

AD AMICVM

Et nitidus fons, et fontem complectitur umbra
Quercus, et est nullo mollior herba solo;
Et violae circum florent suavesqne hyacinthi,
Ventilat et virides mobilis aura comas:
Hic grato, Sneidere, toro conside parumper,
Et dabitur verno tempore dulce frui.

XII

IN MEDICVM MALVM POETAM

Dum medicus, multos qui iam dimiserat orco,
Pindum sanguineis arriperet manibus,
Aspice, mox Phoebo pavidae dixere sorores,
Aspice quod nobis imminet excidium:
Pallentes secum morbos et funera dira
Hic trahit et pestes et genus omne mali.
Tunc Phoebus: Procul hinc, conclamat percitus ira,
Hinc procul, indigna ne mea tange manu.

XIII

IN HOMINEM LINGVACEM (1)

Qui blaterans omnem dedit obsurdescere gentem
Garrulus, hic tandem conditur in tumulo;

(1) Versio italici epigrammatis: *In questa tomba* ecc.

Et quamquam aeternum iaceat nunc ore silenti,
Iam quantum est fatus non reticere potest.

XIV

IN TVMVLVM CVIVSDAM AVARI

Hic situs Aurispes, nemo quem flevit ademptum:
Nullus amicus enim, praeter opes, fuerat.

XV

DICTERIVM PHYLLIDIS IN HOMINEM IMPIVM

More pio Phyllis dum sanctam inviseret aedem,
Impius et nitido corpore pinguis ait:
Quid tempus frustra teris? haud hanc ipse petivi
Usquam; cerne tamen viribus ut valeam.
Illa: Nihil mirum mihi, nam te pinguior est sus
Et melior, nunquam qui sacra templa subit.

XVI

IN GELLIVM MALVM POETAM

Nocte sub obscura scribis tua carmina, Gelli:
Digna quidem obscura carmina nocte premi.

XVII

SCIOTHERICON SIVE HOROLOGIVM SOLARE

Quisquis ades, videas tempus nil posse morari:
Fac bona, namque dies, haec velut umbra, fugit.

XVIII

EIVSDEM ARGVMENTI

Si roseo et sine nube dies tibi rideat ore,
Ictu oculi quae sit temporis hora scies.

XIX

LVSVS DE REDDITA VMBELLA

Reddo tibi umbellam, quae nomen duxit ab umbra,
Sueta sub ardenti sole operire caput:
At tecto quum sole caput mihi texit ab imbre,
Fas et in imbrellam vertere nomen erit.

XX

DE IMAGINE AVCTORIS LVCE EXPRESSA

Effigiem hanc subito solis lux aurea finxit;
Sic mea, sic divus pectora fingat amor.

Iambici

FABVLA
FORMICA ET COLVMBA

Columba ludens propter fontem limpidum,
Vidit cadentem in lympham iamque naufragam
Formiculam. Indoluit, sollersque avulsum arbore
Iniecit olli folium: ea praepes arripit
Et gaudet instanti se servatam nece.
Volat columba dein et muris insidet.
Discalceatus sed venator praeterit,
Qui, viso volucre, tendit arcum et gestiens
Ait: Bonum, mehercle, occurrit ferculum!
Formica tanto cernens sub periculo
Ipsam, sibi modo quae servavit diem,
Actutum villici morsu petit pedem.
Inclamat ille: Heu heu! Avis praeceps fugit.
Docet fabella, reddi benefactis bonum.

Prologus

IN LATINAM COMOEDIAM TITVLO - AEGYPTII [1]

Adestis quotquot, spectatores optumi,
Salvere iubeo; dein quid fabulae siet,
A comoedorum nostro ludendum grege,
Parumper advortite. Senex Chremes pater
Charini est, qui pecuniae nimis tenax
Severius agit cum gnato iuvenculo.
Paertaesus hic paterna diffugit domo,
Nec nummulum quidem cum haberet plumbeum;
Ast, dum Charybdim vitat, in Scyllam incidit,
Incidit in parasitos puellus miser!
Hi quemdam Blepharonem ludificant subdoli,
Quo ventri dudum vacuo melius consulant.
Hinc mercatores se simulant aegyptios
Charinus et parasitus alter Sannio,
Cenam die natali lautam ut aucupent,
Parat quam gnato Cleonymo Blepharo pater,
Optans ut ille mercaturae det operam.
Aegyptii hinc nomen comoediae inditum.
Utrum a poeta concinne id factum fuat,

Fallaciae et tandem belle processerint,
An infecta re et irrito conamine,
Silente Prologo, ipsimet videbitis.
Aequi bonique vos estote iudices,
Animos atque aures arrigite hisce lusibus,
Nobisque, si quid peccatum est, veniam date.

SCHEDVLA AD INVITANDVM CIRCVMMISSA

Per bacchanales ferias produnt fabulam
Latinam alumni rhetores; sic utile
Miscere dulci certant, atque periculum
Cultis in studiis pertentare iudicant.
Rosinius auctor indidit comoediae
Aegyptii nomen. Spectatores favent,
Plautinam linguam qui colunt Quiritium.
Oro adsies, mi Bone; damnosis lusibus
Arceris, quando honeste mentem sublevas,
Praesens et nostris animum addis iuvenculis.

(1) Carolus Maria Rosinius, Episc. Puteol., vir litteratissimus, hanc exaravit; sed quum prologus ad latinorum morem deesset, Auctor supplevit. Egerunt optime alumni sacri Seminarii tum aesini tum bononiensis.

INDEX